ROGERI WIDDRINGTONI, CATHOLICI ANGLI AD Sanctissimum Dominum PAVLVM QVINTVN, *Pontificem Max.* humillima Supplicatio.

Cui

Adiungitur *Appendix*, in quo plurimæ calumniæ cum insigni fraude, & maledicentia coniunctæ, quas *Adolphus Schulckenius* Doctor Theologus eidem *Widdringtono* ad eũ hæreseos *accusandum falsò, summamq́; periniuriam* imposuit, perspicuè deteguntur,

ET

Idem Schulckenius *in ius vocatur, atq; in manifestæ calumniæ iudicium a* Widdringtono *adducitur.*

Quod iustum est iudicate, Nulla erit distantia personarum: Ita paruum audietis, vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est. *Deuteron.* cap. 1.



ALBIONOPOLI
Apud Rufum Lipsium. 1616.



Sanctiſsimo, *atq;* Bea-
tiſſimo *Patri* PAVLO Quinto
Pontifici Maximo ROGERVS WID-
DRINGTONVS *Catholicus An-*
glus perpetuam fœlicitatem
precatur.



Nnus iam integer , *&* *ferme medius* (Beatiſſi-me Pater) *elapſus eſt*, *ex quo* Purgationem *meam*, *quam* Sacra *Illuſtriſsimorum* Cardinalium Congregatio *mihi iniunxit*, *ad* veſtram Beatitudinem *per modum ſupplicis libelli tranſmittendam eſſe curauerim. In eo libello tria* *tiſſimùm continebantur, pro quibus* *go, illorum librorum Author, qui ex* *andato* veſtræ Sanctitatis *malè pro-* *l dubio per quoſdam informatæ pro-* *ripti ſunt, obſequentiſsimus* Eccle-

 ſię

ſiæ Catholicæ Romanæ, *et* veſtræ Beatitudinis *in ſpiritualibus filius, et ſimul fideliſsimus* Regni Angliæ, Regiſque *noſtri* Sereniſſimi Iacobi *in tēporalibus ſubditus ante ſupremū* veſtræ Sanctitatis *tribunal, vt me purgarē, vocatus, ad pedes* veſtræ Sāctitatis *prouolutus,* veſtræ Beatitudini *per tremendam* Dei *ſupremi omnium* Iudicis Maieſtatem *humilli me ſupplicaui.*

2 Primū *erat, vt quod iuſtū eſt iudicaretis, et rectū iudiciū mihi faceretis, neq; ſolis illorum, qui mihi in hac cauſa* Aduerſarij *ſunt, et verba mea cōtra ſenſum a me intentum turpiter deprauarunt, informationibus fidem adhibere, ſed cauſam meā, quæ etiam non mea tātùm, ſed quorumcūq; Chriſti fidelium tam ſubditorum, quam Regum communis eſt, ex certa veſtra ſcientia iudicare velletis*

3 Alterum, *vt quoniā* Sacra *illa* Congregatio *mihi ſub pænis grauiſſimis, Cēſuris nēpe, alijſq; pænis Eccleſiaſtic*

iusticiis de me quamprimũ purgando præceptum imposuit nec tamen crimẽ aliquod vel speciatim, vel etiam generatim, a quo me purgarẽ, mihi indicauit (qui nouus, inauditus, & præter omnẽ, cuiusc ũq; tribunalis morẽ procedẽdi mod⁹ permultis quidẽ scãdali, et plerisque admirandi ansam dedit) Sanctitas vestra *pro paterna illa, quam munus Pastorale vobis imposuit, quorumcunque Christi fidelium solicitudine, me de illis omnibus, aut saltem aliquibus, quæ in libris illis aut fidei, aut bonis moribus repugnãtia esse certò constat, & a quo crimine me purgare deberem, certiorem reddere dignaretur; nam quæ in illis corrigenda sunt corrigere, quæ purganda sunt purgare, quæ explicanda sunt explicare, & quæ retractãda sunt retractare paratissimum me fore ex animo professus sum.*

4 Tertium *erat, vt* Sanctitas vestra, *si de me, meisq; scriptis, post debitã eorum examinationem, se malè per*

quosdam informatã esse, neq; aliquid, quod à doctrina Catholica dissentit, in illis reperiri, prout quidã fortassis vestræ Beatitudini suggesserunt, deprehenderit, illam Sacræ Congregationis sententiã contra me, meosq; libros ex mala informatione, importuna quorundam solicitatione, maloue verborum meorum intellectu latam reuocare, bonæque mei nominis existimationi omni meliori modo, quo vestræ prudentiæ, charitati, atque iustitiæ magis consentaneum videretur, consulere, meque pro Catholico, atque Ecclesiæ Catholicæ filio habere vellet. Quod enim alibi [a] scripsi, tunc denuo repetij, & nunc iterum repeto: Catholicus sum, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ filius, et si aliquis cuiuscunque dignitatis fuerit, mihi notam hæreseos per iniuriam inurere voluerit, pro certo habeat, me, Deo protegente, ijs omnibus modis, quibus Deus, et natura innocenti se defendendi facultatem concedunt, donec Ecclesia, de

[a] In Disp. Theolog. in Admonit. ad Lectorẽ nu. 8.

de mea opinione plenè informata, eam clarè et particulatim, (neque enim errores reuocare quis poterit, nisi quinā sint speciatim cognoscat) condemnauerit, ab illius calumnijs me pro virili vindicaturum.

5. *Hæc sunt præcipua, pro quibus ego in illa* Purgatione, *(præter id quod antea* [b] *in alia Petitione à vestra Beatitudine deprecatus sũ) à vobis humillime supplicaui, quæq; facillimè a charitate vestra me impetraturum, cum tam iusta, tam rationabilia, et absq; omni exceptione sint, quæ postulo, plurimùm confisus sum. Sed mẽses iam septẽdecim excursi sunt, neq;, quodnam sit* vestræ Beatitudinis *beneplacitum, hactenus noui, neq; bonæ mei nominis existimationi adhuc vllo modo cõsultum esse perspicio, dum quidam etiã nunc, indiscreto sanè, (amaritudinis, et vindictæ, an charitatis, zelo, iudicet Deus) occasione partim ex decreto illo, quo libri mei prohibiti sunt, partim ex* Breui *vestro* Apo-

b In Epist. ad vestram Sanct. ante Disp. Theolog. nu. 11.

stolico, *in quo* Sanctitas vestra *multa in iuramento contineri, quæ fidei & saluti apertè aduersantur, palam declarauit, arrepta, me conuitijs indies lacessere, & tanquam* hæreticũ, Sedisq; Apostolicæ *aduersarium, atquè rebellem apud imperitum vulgus traducere non pertimescunt: Atquè idcirco eandem* petionem *meam denuo iterare, eamque vestris auribus iterum suggerere, me, meãq; famam, atque innocentiam tuendi necessitate planè compulsus sum.*

6 *Neque vnquam profectò* vestram Beatitudinem *deprecandi, & per eum, qui vos, vniuersalem gregis sui Pastorem, atquè Instructorem constituit, quique proinde exactissimã in tremẽdo iudicij die pro qualibet etiam ouicula rationem a vobis exposcet, obtestandi finem faciam, donec* Sanctitas vestra *nos Anglos Catholicos, quænam sint illa multa, aut vnum saltem è multis, quæ in dicto iuramẽto, fidei, aut saluti adeo apertè repugnantia*
esse

esse suis Breuibus declarauit, edocere, et prædictum Ill^morum^ Cardinalium *decretum, quo libri mei prohibentur, et mihi me purgandi, sed nescio a quo crimine, præceptum imponitur, vel reuocare, vel quænam sint illa, quæ in libris meis aut fidei, aut bonis moribus aduersantur, vt ea aut expurgare, aut ab ijs me purgare possim, mihi patefacere, bonaque mei nominis existimationi prospicere vtcunquè dignata fuerit: Nequè enim caducum aliquod in terris bonum, sint diuitiæ, honor, libertas, sanitas, aut ipsamet etiam vita, pluris quàm bonam mei nominis existimationem, in crimine præsertim, quod hæresim sapit, facio, a qua vijs licitis, iureque naturæ concessis defendenda, nullius sanè hominis timor, nullaque censurarum,* quæ, nisi iustæ sunt, parum plùs nihilo valent, [c] *nequè* in cõscientia obligãt, [d] *comminatio me vnquam deterebũt.*

7 *Et tametsi optimè nouerim, me in hac controuersia grauissima, quæ ad de-*

c *Nauar* in Euchirid cap. 27. nu. 3.

d *Suarez* De Censur. Disp. 4 sec. 7. nu. 2. 4. 23. & seq.

debitam Deo *&* Cæsari, *Principi spirituali, & temporali obedientiam iure diuino præstandam spectat, pertractanda,* lupum, *vt in prouerbio est,* auribus tenere, (*quæ sane cogitatio conscientiam meam, vt aliàs* [e] *adinonui, quando primùm quæstionem hãc examinare in animum induxi meum, valde perplexam reddidit*) *cum in alterum extremorũ delabi, et vel* Summi Pontificis, *vel* Principis *temporalis authoritatem nimiùm efferre, nimiumuè deprimere facillimum esse perspiciã, adeo vt nisi rectissima planè via, & non magis ad dexteram, quàm ad sinistram deflectens, incedam, vtriusq; indignationem effugere nullatenus possim, cum vterque auidus sui iuris relator sit, neq; eo per quempiam spoliari certè absque stomacho ferre queat; Attamen, dum ex altera parte mecum perpendo, me causam hanc periculosam, quæ et corpora, et animas in tam apertum discrimen conijcit, non adulandi animo, aut contradicendi libidine,*

e In Præfat. ad Apolog. pro Iure Principum, vide infra in Append. §. 19.

bidine, Deus mihi testis est, sed gratia tantùm perdiscendi, quæ Dei *sint, quæ* Cæsaris, *vt quod suum est, vtriq; reddere possimus, discutiendam in me susceperim, magna spe afficior, neque* vestram Sanctitatem, *neque* Regiã Maiestatẽ, *quarum prudentiæ, et benignitati plurimùm confido, vlla prorsus contra me pro vtriusque iuribus, nostraque obedientia, quæ illis respondet, peruestigandis humiliter disputantem, neque proteruè aliquid statuentem, sed vtriusque iram, quantũ possibile est, et illius præsertim, qui &* Deo, *&* Cæsari *quæ sua sũt, reddere præcepit, offensam effugere cupientem, indignatione commotas iri.*

8 *Etenim, quando Principes isti supremi,* supremi *inquam, nam vterq; in gradu suo* supremus *est, neque alterius iuri, in ijs rebus, in quibus principatũ tenet. subiectus, de iuribus suis inter se decertant, quando vnus suam Iurisdictionẽ alterum vsurpare, gladiumque suum è manibus eripere, &*

falcem

falcem in messem suam immittere contendit, neque vlla omnino istius litis componendæ spes est, cum vnus alteri cedere, donec controuersia hæc authoritate legitima decisa fuerit, nullatenus velit, quid nos infælices subditi in his angustijs positi agere, quo pacto nos gerere, cui parere, quem sequi in hac contentione debemus, res est procul dubio tum propter iram, tum propter conscientiam periculi plena. Princeps enim temporalis terribilem vitæ, ac necis gladium exerit, illumque in nos vibrat, et carceris, exilij, egestatis, mortis deniq; nisi eum sequamur, minas intendit: Spiritualis autem horrendum Excommunicationis, *quæ, teste S.* Augustino,[f] morte corporali grauior est, *mucronem extrahit, illumque nobis, nisi illi obsequamur, minatur. Sed hæc vtique leuiora essent, neq; tantum nobis terrorem incuterent, dummodò consciētia salua maneret, et siue huic, siue illi obtemperando alterius indignationem*

[f] Lib. 1. contra aduers. leg. & proph. cap. 17.

nationem incurreremus, *illius* Principis *iram, qui vitæ et mortis Author est, et qui non tantùm corpus occidendi, sed animā & corpus tā* Principum, *quam* subditorū *in gehennā mittendi potestatem habet, absq; vllo prorsus periculo declinare possemus.*

9 *Sed vndique profectò peccandi, & diuinam legem violandi timor obrepit. Nam si* summo Pontifici, *qui* Reges *deponendi potestatem sibi vendicat*, subditos *a fidelitate* Regi *alioquin debita absoluenti non obtemperemus, in spiritualis inobedientiæ periculum incidere, illiusque iram, qui* Deo *quæ* Dei *sunt reddere præcepit, in nos concitare videmur: Sin autem* Regi *nostro* Serenissimo, *qui talem* Summi Pontificis *deponendi* Principes *potestatem non veram, sed fictitiam, vsurpatam, non a* Christo *datam esse contendit, rebelles fuerimus, in* læsæ Maiestatis *discrimen præcipites ruere, eiusque indignationem incurrere videmur, qui non solùm*

solùm quæ Dei *sunt* Deo, *sed & quæ* Cæsaris *sunt* Cæsari *reddere, nos oportere totidem planè verbis sepiùs inculcauit: adeo vt neque* Pastori *spirituali obedientiam spiritualem, neque* Principi *temporali obedientiam temporalem denegare absquè* læsa *conscientia, atque diuina etiam* Maiestate *quisquam possit.*

10 *Atque hæ sunt angustiæ,* Beatissime Pater, *quæ nos miseros subditos* (Anglos *præsertim* Catholicos, *quos lis hæc de potestate vestra in* Principes *plus premit quàm cæteros*) *qui &* vestrę Sanctitati *in spiritualibus, &* Regi nostro *in temporalibus obedire tenemur, vndique circumdant, dum* Sanctitas vestra *cū* Regibus, *&* Reges *cum* Sanctitate vestra *de iuribus suis, spiritualia, an temporalia sint pariter dimicatis: et nos interim infælices* subditi, *quæ* Dei *sint, quæ* Cæsaris, *quæ obedientia spiritualis, quæ temporalis dicenda sit, vt vtrique quod verè suum est,*

est, reddere possimus, penitus ignoramus.

11 *In hunc igitur finem, vt scilicet debitum nostrum* Deo, *&* Cæsari *obsequium addiscere, quos terminos potestati spirituali, & temporali* Christus *constituit, deprehendere, et ita tandem quæ obedientia spiritualis sit, quæ ciuilis, ac proinde quodnam iuramentum spirituale, quod temporale dici debeat, intelligere clarè possemus, plures iam libros in lucem edidi, vnumque ex illis* Beatitudini vestrę *dedicaui*, vestram Sanctitatem *instantissimè deprecans, vt quoniam in eo fidelitatis iuramento, quod* Rex *noster* Serenissimus *temporale tantùm, ac planè ciuile esse contendit*, multa contineri, quę fidei, & saluti apertè aduersantur, *Apostolicis suis literis iam palam declarauit, neque nos (tametsi iuramentum illud, et singulas eius partes, & quæ vtrinquè obijci solent, iterum atque iterum diligentissimè, prout par erat, expenderimus)*

derimus aliquid prorsus in eo comprehendi, quod fidei, aut saluti repugnans est, aut ciuilis obedientiæ, quam ciuilem esse, & non spiritualem plures viri eruditi semper existimarunt, limites transcendit, perspicere adhuc valemus, Sanctitas vestra *pro* Pastorali, *quo fungimini officio, nos* Anglos Catholicos, *quænam sint illa multa, vel vnum saltem è multis, quod in illo, iuxta* certa, *&* indubitata *Catholicæ fidei* principia (*neque enim iam quid Card.* Bellarminus, *qui nobis in hac causa* Aduersarius *est, aut alius quicunque priuatus* Doctor, *qui fallere* potest *& falli, sentiat inquirimus*) *fidei, aut saluti aduersatur, palam, perspicuè, & absque vllis verborum integumentis edocere dignaretur.*

12 *Sed heu nos infælices, qui panem vitæ a* Patre *spirituali, doctrinæ pabulum à* Pastore *animarum humillimè petiuimus, & ipse, proh dolor, lapidem dedit nobis, qui instructionem*

ſtructionem a communi fidelium omnium Magiſtro *obnixè poſtulauimus, & ipſe ſupplicationem noſtram deſpexit, reiecit, condemnauit, nobiſque etiam, niſi ab ea quamprimùm purgaremus, nec tamen quid in ea purgandum eſſet, nobis ſignificare voluit, Cenſuras Eccleſiaſticas cõminatur. O tempora, ò mores, An non videt* Sanctitas veſtra *quã ſcandaloſa hæc ſint, quàm extranea, atq;* Apoſtolorũ, *veterumque* Pontificum *praxi quã maximè diſſentanea?*

13 *An forſan* Romanæ Curiæ *maieſtatem tantũmodo tam decet (ſic enim quoſdam muſſitantes audiui) vt leges condat, præcepta imponat, pœnas intentet, Cenſuras fulminet, & non etiam, vt ijs qui ignorant, & errant condoleat, eos doceat, erudiat, & in ſpiritu lenitatis inſtruat, atque difficultatibus, quæ circa leges, præcepta, pœnaſque quas imponit occurrunt ſatisfaciat, & conſcientias, quas leges ab ea latas* Breuia

ab ea ad nos missa perplexas reddunt, suis instructionibus pacatas faciat? Absit hæc cogitatio a Sanctitate *vestra, a* charitate *vestra, a* justitia *vestra, ab* humilitate *vestra, a* Vicario *Christi, a* Successore *Petri, & a* Seruo *seruorum Dei. Talia meditentur* Reges, *&* Principes *qui dominantur terræ,* vos *autem, qui non* dominantes in cleris, sed forma facti gregis, non sic.

14 *Magnam sanè Pastoris spiritualis dignitatem, & potestatem esse,* Sancti Patres *conclamant, tantoque maiorem, & digniorem, quanto anima corpori, terrena cælestibus dignitate antecedunt.* Habēt enim terrestres Principes vinculi potestatem, verùm corporum solùm. Id autē quod dico Sacerdotum vinculum ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos vsque peruadit. [g] *Sed nihilominus alium pascendi modum in* Pastore, *alium regendi in* Rege *seruandum esse, neque tantam*

g Chrisostom lib. 3. de Sacerdot. cap. 5.

tam esse in vtrisque authoritatem ÿdem Sancti Patres *affirmant*. Nam exteri quidem Iudices, cum facinorosos homines leges transgressos fuisse deprehenderint, magna se præditos authoritate, ac potestate ostendunt, eosdemque vel inuitos suos ipsorum mores mutare cogunt, hîc verò non vim adferre, sed suadere tantùm oportet, atque hac ratione meliorẽ efficere, quem emendandum susceperis. Neque enim nobis facultas tanta a legibus data ad delinquentes coercendos.[h]

15 *Quòd si quis dixerit, vestram* Sanctitatem *non* Pastorem *tantùm spiritualẽ, sed* Principem *etiam esse temporalem, cum notum sit, vt ait Papa* Innocentius,[i] Romanos *Pontifices* & Summi *Pontificis* authoritatem exequi, *& in B. Petri* patrimonio Summi *Principis* exequi potestatem, *Non abnuo. Sed tametsi eadem* persona *sit* Pastoris, *et* Principis,

h *Chrisost.* lib. 2. de Sacerdotio cap. 3.

i in cap. per venerabilem.

cipis, *diuersa tamen sunt vtriusque munia, diuersæ potestates, diuersæ leges, quas ex* Christi *lege vterque seruare debet; Et si* persona Pontificis *aliorum consilijs adhærens, aliorum informationibus confidens, innocentes iniustè opprimat,* Christi *legem violet, potestatem, & Maiestatem quæ illi ex* Christi *lege non competit, iniquè vsurpet, quid in extremo iudicij die, vbi* nulla erit acceptio personarum, [k] *sed* quicunque, *siue Princeps sit, siue subditus, siue Pontifex siue Clericus,* timet Deum, & operatur iustitiam acceptus erit illi, [l] *fiet de* persona Principis, *cogitare perhorresco.*

k Rom. 2.

l Act. 10.

16 *Verùm ego ad supremum* vestræ Curię *tribunal, non quà* Princeps *estis, sed quà* Pastor, *me sisto, ad* vestram Sanctitatem *malè de me, meisq; libris informatam melius informandam, non quà* Constantino *in regimine* temporale, *sed quà* Petro *in munere* Pastorali *successeritis*

ceditis, prouoco, atque ad vestram Beatitudinem *aduersus eos, qui malè vos informarunt, quique vestra prudentia, iustitia, & charitate turpiter abusi sunt, de iniusta mea oppreßione, librorum condemnatione, atque de iniuncta mihi contra legis naturæ præscriptum, & cuiuscunque tribunalis morem, purgatione, (crimine, à quo me purgare debeam, celato) iam queritans, appello.*

17 *Dicam liberè*, Beatissime Pater, *quod sentio; iam enim veritatem liberè, palamq́ fateri meam famam, meamque innocentiam tuendi neceßitas me cogit. Credo equidem, et firmiter mihi persuadeo, vestrã* Beatitudinem *tam singulari, sanctitate, iustitia, charitate, prudentia exornatam esse, vt innocentes opprimere, supremis* Principibus *ius suum eripere, authoritatẽ vllã, quam* Christus *vobis non conceßit, vsurpare, aliudue committere, quod vel* Christianis

 scanda-

ſcandalum, vel Sedi Apoſtolicę *opprobrium eſſe poſſet, ſciens, ac volens nequaquam vellet. Ideoque ſi quid iniuſtum, ſi quid ſcandaloſum, ſi quid à paterna veſtra charitate, atq; prudentia alienum ex mandato veſtro procedere cōtigerit, hoc nō veſtræ ſanctitati, iuſtitiæ, charitati, prudentiæ, ſed illis, qui vobis à conſilijs ſunt, quique vel proprias opiniones ſequuti, vel proprijs affectionibus abducti malè vos informant, tribuendū eſſe cēſeo.*

18 *Inter hos, qui veſtram* Sanctitatem *de me meiſquè libris, atque de nupero* fidelitatis Iuramento *ſiniſtrè informarunt, quique* Beatitudinem *veſtram ad* Breuia *ſua huc mittenda, in quibus* Iuramentum *illud plura in ſe complecti, quæ fidei apertè repugnant, declaratur, atque ad illud* Sacræ Congregationis *decretum, (in quo duo libri a me compoſiti condemnantur, et mihi quoque, vt me quamprimum purgem, nullo tamē crimine, a quo me purgare debeam, indica-*

*indicato, praeceptum imponitur) ve-
stra authoritate confirmandum solli-
citarunt, primum, ac praecipuum, non
ego tantum, sed plures alij tum nostra-
tes, tũ exteri pro certo habemus, fuisse*
Illustrissimum *Card.* Bellarminum,
qui & vestrae Sanctitati *in* Sacra *il-
la* Congregatione *a* consilijs, *& à*
secretis *est, et mihi quoque praecipuus
in hac causa* Aduersarius, *vtpote quẽ
solũ in mea pro* Iure principũ Apo-
logia, *et quem potissimum in* Dispu-
tatione *mea* Theologica *confutan-
dum suscepi, quiquè in causa mea, atq;
etiam sua, et* Accusator, *et* Testis, *et
Iudex esse voluit. Nam et librum ad-
uersus meam* Apologiam, *tametsi nõ
proprio, sed alterius, nempe* Adolphi
Schulckenij *nomine, vt fama publi-
ca est, evulgatum conscripsit, in quo
me* hæreseos, *vt alia eius conuitia
iam mittam, falsò, et per iniuriam
accusauit, & ad id comprobandum
nudam suimet-ipsius assertionem
absque sufficienti probatione, vt*

m In Appendice.

Sanctitas *vestra infra*[m] *videbit, pro testimonio adduxit, & tandem in* Sacra *illa* Congregatione, *in qua ipse primas tenet, præfatam condemnationis sententiam aduersum me, meosque libros, nullo crimine, ob quod condemnantur, expresso, proferre non dubitauit.*

19 *Sed aduertat, obsecro, prudentia vestra, quàm scandalosè informatores isti vestra charitate, atque iustitia abutuntur, vestramque* Beatitudinem, *adeoque ipsam* Apostolicam *Sedem* Principibus *populoque Christiano, odiosam, quantum in ipsis est, reddere student, dum noua sua dogmata, quæ* Regalia *Principum* iura *euertunt, ipsamque* Maiestatem Regiam *conculcant, pro fide*, scilicet, *Catholica ab omnibus necessariò credenda Principibus, populoque Christiano obtrudere nituntur, & cum ea firmis rationibus stabilire, suosque Aduersarios argumentis euincere*

cere non valeant, ea sophisticis quibusdam ratiunculis confirmare tentant, suosque Aduersarios Censuris, minis, terroribus, & tandem librorũ prohibitione, ne eorum fraudes & sophismata detegantur, vestra interposita authoritate superare se posse confidunt.

20 *Ecce enim*, Beatissime Pater, *quàm scandalosa sit hæc librorum, qui* Regalia *iura, inter vestram* Sãctitatem, *&* *supremos* Principes, *controuersa syncerè tractant, prohibitio, vestra præsertim authoritate facta, quàmq; iniuriosa sit* Principibus, Subditis *periculosa, atque ipsi* Catholicæ *fidei quàm maximè perniciosa. Etenim si inter vestrã* Sanctitatem, *&* Principem *aliquẽ* Christianum *de alicuius Regni, quod Princeps ille legitime possidet, dominio lis vlla, controuersia, altercatio esset (vt etiam nunc de vtriusque* Regni Sicilię, *quod* Reges Catholici *possident, iuribus inter* Romanos Põtifices, *et ipsos*

ipsos concertatio est, *Card.* Bellarminus [n] Martinus Becanus, [o] *& quidam alij infirmissimis rationibus ducti, etiam* Reges Angliæ *Romani* Pontificis *feudatorios esse, affirmare non dubitant*) *an non maximam* Principi *illi, eiusque subditis iniuriam fieri quiuis existimare meritò posset, si* Sanctitas *vestra illis strictè & sub grauissimis pænis, Censuris nempe Ecclesiasticis, præciperet, vt eas tantum Scripturas, librosque, qui vestræ* Sanctitatis *iura, titulumque confirmant, euoluerent, neque eas Scripturas, librosue, qui* Principis *illius iura, titulumque corroborant, quique vniuersa argumenta, quæ pro iure tituloque vestro stabiliendo afferri solent, infirma, fallacia, sophistica, & vix vllius planè roboris esse perspicuè ostendunt, vllo modo perlegerent, aut apud se detinerent, sed eos vel vestræ* Sãctitati, *vel ijs, quos* Sanctitas *vestra designaret, statim exhiberent.*

n In Apologia pro Respons. sua ad librum Iacobi magnæ Britan. Regis cap. 3.
o In Controuersia Anglic. cap. 4 q. 9.

21 *Quid*

21 *Quid* Princeps *ille, quid populus illi subiectus, quique illi temporalem obedientiam ex* Christi *lege præstare debet, quid cæteri* Principes, *et subditi omnes Christiani, quibus eadem prorsus causa esse potest, de tã iniusto præcepto concipere iure posset, et quale præmium, seu quam potius pœnam, illi, qui à vobis a* Consilijs *sunt, quique sinistris informationibus, atque importunis sollicitationibus vestrã* Sanctitatẽ *quasi volentẽ nolẽtẽ ad tale mandatũ, quod in grauẽ* Sedis Apostolicæ *ignominiã, in summam* Supremi *illius* Principis *iniuriam, atque in non leuem* Censuraium *Ecclesiasticarum contemptum vergeret, promulgandum compellerent, a vestra* Beatitudine *expectare mererentur, et vtrum* Princeps *ille, populusque illi subditus, tali decreto, talibusque Censuris, quæ nisi iustæ sint, iustumque supponant præceptum, in conscientia non obligant, parere tenerentur,*

tum

tum veštræ prudentiæ, tum viris quibuſcunque eruditis iudicandum relinquo.

22 *Atque ita planè in præſenti hac de poteſtate veſtra in* Reges *contro-uerſia res ſe habet, dum* Sacra *illa* Congregatio *libros meos, qui* Re-galia *Principum iura, quæ inter ipſos, eorumque ſubditos, atque* Romanos Pontifices verè contro-uerſa *ſunt, confirmant, & ſupremam* Principum *authoritatem contra præ-tenſam* Summi Pontificis *eos de-ponendi poteštatem propugnant, pro-hibendos, & a nemine legendos aut detinendos, ſed* Inquiſitoribus, *aut locorum* Ordinarijs *ſtatim tradendos eſſe decreto publico ex mãdato veſtræ* Sanctitatis *declarauit. Etenim ſi* Sã-ctitati *veſtræ præcedentium ſeculo-rum ad hæc vſque tempora annales recolere, reſque geſtas* Summorum Pontificum, *ac* Regum *et* Impera-torum *perlegere, tempus ac otium eſ-ſet, clariſſimè perſpiceret,* magnam fuiſſe

fuisse sẽper, *vt recte scripsit* Ioannes Azorius, [p] *nempè a Gregorij Papæ 7. temporibus hucusque, inter* imperatores, Regesq; ex vna parte, et ex altera parte inter Romanos Põtifices controuersiam, an certis in causis sit ius, & potestas Summo Pontifici priuãdi Reges regno suo.

p Tom. 2. Instit. lib. 12. cap. 5. q. 8.

23 *Neque enim vestram* Sanctitatem *latere potest, totam hanc de Christianis* Principibus *authoritate* Papali *deponendis inter ipsos, eorumque subditos, atque* Romanos Pontifices *contentionem ab vno* Gregorij *Papæ septimi facto, atque exemplo, quod a quamplurimis cuiuscunque gradus ac conditionis tunc temporis Catholicis improbatum, atque a* Sigeberto, *vt alios nunc taceam, viro sanè perdocto, pio, ac religioso, atque de Ecclesia Catholica benemerito, vereque Catholico, & non* Schismatico, *quicquid Card.* Baronius, *ac* Bellarminus *dicant, vt contra ipsos alias* [q] *probaui, infami* nouitatis, ne dicam

q In confut. *Tho. Fitz.* part. 1. cap.

dicam hæreseos (sunt enim Sigeberti *verba) nota inustum, atque ab eo* validis Patrum argumentis *confutatum fuit, originem traxisse.*

24 *Nam vt* Onuphrij Panuuinij, [r] *qui a* Paulo Manutio, *teste* Posseuino, [s] Historiarũ Helluo *appellatur, verba referam,* etsi antè Romani Pontifices, tanquam religionis Christianæ capita, Christique Vicarij, & Petri successores colerentur, non tamen eorum authoritas vltrà protendebatur, quàm in fidei dogmatibus vel asserendis, vel tuendis. Ceterũ Imperatoribus suberant, ad eorum nutum omnia fiebant, ab eis creabantur, de ijs iudicare, vel quicquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum *Gregorius* septimus armis *Nortmanorum* fretus, opibus Comitissę *Mathildis*, mulieris per Italiam potentissimę, confisus, discordiaque *Germanorum Principũ* bello

[r] lib. 4. de varia creat. de Rom. Pont.
[s] In verbo *Onuphrius Panuv.*

lo

lo ciuili laborantiũ inflammatus, prę ter maiorum morem, contempta *Imperatoris* authoritate, & potestate, cum summum *Pontificatum* obtinuisset, *Cæsarem* ipsum, a quo, si non electus, saltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, sed etiam Regno, Imperioq; priuare ausus est. Res ante ea secula inaudita; Nam fabulas, quæ de *Arcadio*, *Anastasio*, & *Leone Iconomacho* circũferuntur, nihil moror.

25 *Atque ex hoc* Gregorij *facto, re ante ea secula inaudita, & quod ipse priùs executioni mandauit, & posteà, ne ob rei nouitatem amici eius ab eo deficerent, et* Imperatori *adhærerẽt, quæcunque poterat argumenta, quibus* Sigebertus validis Patrum argumentis se respondisse *affirmat, ad id defendendum congessit, tota lis hæc*, B.^me^ pater, *quæ de potestate Papali Principes deponendi, inter Summos* Pontifices, *&* Principes *temporales, adeoquê inter subditos etiam*

quà

quà spirituales, & temporales sunt, ab eo tempore ad hodiernum vsq; diē perdurauit, initium sumpsit, quæque tantos tumultus, tot schismata, tam atroces hominum cædes, tamq; acerbā inter Regnum, *&* Sacerdotium *discordiam in Republica Christiana, proh dolor, excitauit.*

26 *Quanta enim mala, vt quæ alibi*[t] *scripsi referam, quot bella, bellorumque discrimina, quæ schismata, quot animarum, corporumque pericula subsecuta sunt, primam omnium Imperatorum, nempè* Henrici *quarti depositionem* Otho Frisingensis[u] *narrat. Et de* Friderici *secundi depositione* Ioannes Trithemius[x] *ita scribit,* Intrauit *Fridericus* post depositionem sui in Italiam, & tantis malis *Papam,* subiectosque illi populos afflixit, vt *Pontificem* viuere tęderet, voluissetque se nunquam depositionem illius cogitauisse. *Et quanta incommoda, opprobria, calamitates* Bonifacius *octauus perpessus*

t in *Apologia* pro iure principum num. 455.

u Lib. 6. hist. cap. 36.

x In Chron. Monast. Hirsang. in anno 1244.

est,

est, qui Philippum Pulchrum Christianissimum Francorum Regem deponere, ipsumque, & Franciæ regnum sibi in temporalibus subijcere ausus est, illudque ad sedem Apostolicam propter Philippi inobedientiam deuolutum esse delarauit, & contrarium sentientes hæreticos reputauit, plures historici satis lugubri narratione describunt. Atque vt cæteras depositiones taceam, quàm innumeras strages ac calamitates in Ecclesiam inuexerit prætensa hæc Summi Pontificis *authoritas* Reges *per sententiam, regnandi iure priuandi, tantaq; vt tum scriptis, tum factis propugnata, (quæ tamen raro ant nunquam effectũ sortita est) nimis clarum, sed non satis lugendum Anglia nostra præbet testimonium.*

27 *Et certè prædicta hæc virium imbecillitas, quam in* Romanis Pontificibus *ad* Reges, *per eorum sententiam regnandi iure priuatos, actu, et cum effectu deponendos semper fuisse*

experẽicia docet, sufficiẽs meo iudicio argumentum est, vt alia argumenta nunc mittam, Christum *Dominum re quidem vera talem poteſtatẽ* Principes *supremos per sententiam depriuandi Summo* Pontifici *nequaquam concessisse. Nam si* Christus *Domin⁹ talem Summo* Pontifici Principes *per sententiã abdicandi authoritatem concessisset, verisimile profectò est, eũ quoq; vires sufficientes, mediaq; & auxilia necessaria, siue naturalia, siue supernaturalia ad talem sententiam executioni mandandam tribuere etiã voluisse, cum talis sententiæ executio ad bonum spirituale promouendum, ad Ecclesiam defendendam, ad Principes iniquos coercendos ac corrigendos, atq; ad animas in Paradisum actu perducendas (ob quæ talis authoritas* Principes *per sententiam deponendi Summo* Pontifici *concessa esse fingitur) magis necessaria est quàm verbalis tantùm per sententiam depriuatio, quæ nisi executioni mandetur, eam*

magis

magis obesse, quã prodesse, et Princi- pes *malos potiùs ad indignationẽ incitare, quàm ad bonum inflectere, et a vitijs retrahere omnes norũt. Si enim* Rex *aliquis, aut* Princeps *temporalis castri alicuius, aut territorij, quod alter possidet, dominiũ alicui ex domesticis largiretur, eum quoq; vires sufficientes, et auxilia necessaria ad castrum illud, aut territorium possidendum, et alterum e possessione excludendum eidem concedere voluisse meritò præsumi debet. Et si hoc de* Principe *terreno præsumere rationi consonum est, nunquid idem potiori ratione de* Deo *Opt. Max. qui nunquam deficit in necessarijs, & si dat esse, dat etiam consequentia ad esse, iudicandum esse quisquam dubitare potest.*

28 *Errant igitur procul dubio informatores isti,* Beatissime Pater, *& quantum in ipsis est, vestram etiam* Sanctitatem *in errorem trahere tentant,*

tant, dum vestræ Beatitudini *tam multis occupationibus distentæ, vt veritatẽ in hac quæstione grauissima sedulò examinare, & libros, qui eam accuratè tractant, diligenter expendere vix tempus, & otium sit, sed eorum doctrinæ, sinceritati, atq; informationi confisæ persuadere nituntur, non esse vllam apud* Catholicos *controuersiam, sed esse rem* certam, *atq;* de fide tenendam, *& contrariam doctrinam ab omnibus verè* Catholicis *pro* heretica *habendam, posse Summum* Pontificem *in ordine ad bonum spirituale* Principes *supremos suis Regnis, atq; dominijs temporalibus priuare, eosque pœnis quibuscunque temporalibus coercitiuè castigare: Cum* magna sẽper fuerit inter Romanos Pontifices ex vna parte, & inter Imperatores, Regesq; ex altera, *& consequenter inter eorum etiam subditos* de hac re controuersia, *vt dixit* Ioannes Azorius. *y Cum* de hac re certent Scholastici, & adhuc

y Vide supra nu. 22.

huc sub Iudice lis sit, an Papa possit Imperatorem deponere, *vt ait* Ioannes Trithemius.[z]

29 *Cum* Excõmunicatio, vel alia similis pæna spiritualis sit vltima, quam Iudex Ecclesiasticus inferre potest; Nã licet Iudex Ecclesiasticus habeat homines in Deũ reducere, et à peccato retrahere, hoc tamẽ nõ habet, nisi secũdùm viã a Deo sibi datam, quę est separando a Sacramentis, & participatione fideliũ, *vt inquit* Ioannes Parisiẽsis:[a] *Cum* de ratione potestatis Laicæ sit, posse pænam ciuilẽ infligere, vt sunt mors, exiliũ, bonorũ priuatio &c. sed nullam talẽ pænam ex institutione diuina infligere potest potestas Ecclesiastica, immò nec incarcerare, vt plęrisq; Doctoribus placet, sed ad solam pęnam spiritualẽ extenditur, vt puta Excõmunicationẽ, reliquæ autẽ pęnę, quibus vtitur, ex iure purè positiuo sũt, *vt asserit* Iacobus Almain⁹:[b] *Similia*

z In Chron. Monast. Hirsan. ad annũ. 1106.

a De potest. Regia & Pap, cap. 14.

b In lib. de dominio naturali, ciuili, & Eccles. in probat. 2, conclus.

habet Ioannes Gerſon *in tract. de* poteſt. Eccleſ. *conſiderat.* 4. Sunt, *inquit*, qui dicunt, pænam hanc excommunicationis eſſe vltimam quam infligere poſſit poteſtas Eccleſiaſtica ex inſtitutione Chriſti ſola primaria, ſic quod non extenditur ad incarcerationem, nec vt aliquis adiudicetur morti, vel flagello corporali, ſed facit hoc Eccleſiaſticus dum facit ex conceſſione Principum &c.

30 *Cum* Albericus Roxiatus, *vir Catholicus et Legum pertiſſimus* quatuor *Summorum* Pontificũ Decretales, *quæ tẽporali eorum in* Principes *poteſtati fauent*, *è quibus vna eſt celebris illa, toties ab Aduerſariys inculcata depoſitionis ſententia aduerſus* Fridericũ *Imperatorẽ ab* Innocentio *quarto in* Concilio Lugdunẽſi *lata*, non iuri conſonas eſſe, ſed eſſe proditas contra iura, & libertates Imperij, & Paſtores Eccleſię in *ÿs condendis* falcẽ in meſſem

ſem alienam mittere *exiſtimauerit.* [c] *Cum* Regnũ Franciæ, *vt ait* Petrus Pithæus,[d] vir, *teſte* Poſſeuinus [e] verè eruditus, et antiquitatis ſedulus perquiſitor, ſẽper pro certo tenuerit, non poſſe *Papam Regem* Franciæ regno priuare, et non obſtantibus quibuſcunq; monitionibus, excommunicationibus, vel interdictis, quę per *Papam* ferri poſſunt, Subditos tamẽ ad obedientiã pro tẽporalibus debitam *Regi* pręſtandam obligatos eſſe, neq; in ea per *Papam* diſpenſari, aut abſolui poſſe. *Cum tot nationis Gallicanæ Catholici (vt ex nuperis* Pariſienſis Parliamẽti *decretis aduerſus Cardinalis* Bellarmini, Adolphi Schulckenij, Frãciſci Suarez *aliorũq; doctrinã, quæ* Papalẽ *hãc* Principes *deponendi poteſtatem propugnat, editis, perſpicuũ eſt, atq; ex illius Iuramenti formula. quod tanquam* legẽ fundamentalẽ *ſtabiliendum eſſe, tertia pars Ordinũ Frãciæ, quos etiã* Catholicos

c In *Dictionario* in verbo *electio.*

d In *Codice* libertatũ Eccleſ. Gallic. authoritate *Parliamenti Pariſienſ.* in lucem edito, añ 1594.

e In *verbo* Petrus Pithæus.

fuisse Ill[mus] Cardinalis de Peron [f] *agnoscit, et ex ducentis* Deputatis, *qui ibi aderant*, *sex tantùm* Protestantes *fuisse scriptis publicis testatum habemus, a* Rege Christianissimo *instantissimè supplicarunt*, *manifeste constat)* doctrinam hanc, *quæ* Summo Pontifici *potestatem* Principes *supremos deponendi*, *&* *pœnas tēporales coercitiuè infligendi concedit, tanquam* scādalosam, seditiosā, damnabilem & perniciosam, iura Principū illis à Deo concessa euertētem, & subditos ad rebelliones, & Regi-cidia incitantē *condemnare non dubitauerint*.

f In oratione sua coram ipsis habita.

31 *Cū tot nostræ* magnæ Britāniæ *Catholici, viri pij ac eruditi, quos alias nominatim recensui qui hāc cōtrouersiā, et omnia* [g] *argumēta quæ in vtrāq; partē obyci solent, diligentissimè examinarunt*, *quiq; pro fide Catholica aduersa quæq; perpeti, vitāque ipsā amittere*, *si opus esset, parati sunt*, Papalem *hanc* Principes *deponendi*, *&* *pœnas*

g In confutatione Thomæ Fitz-herberti part. 1. cap.

pœnas tēporales coercitiuè *infligendi potestatē denegare non pertimescant: Cū deniq;, ut alias authoritates à me alibi* [h] *relatas, neque a D.* Schulckenio, *seu Card.* Bellarmino *sufficiēter impugnatas nunc taceā, doctrina hæc nullo Sacræ scripturæ testimonio, nulla traditione Apostolica, nullo Conciliorum, aut Summorum Pontificum decreto ab Ecclesia Catholica approbato, nullaque demonstratione Theologica prædictis innixa (quæ sola argumenta ad rem fidei certò comprobandam valēt) efficaciter confirmari possit: Adeo ut, his omnibus rite perpensis, mirum sit, qua fronte informatores isti doctrinam hanc* certam *esse,* indubitatam *esse, de* fide Catholica *tenendam esse tanta cum confidentia affirmare, ausi fuerint.*

h In Apologia pro Iure Principum nu.4. & seq.

32 *Et profectò, si doctrina hæc pro potestate Summi* Pontificis Principes *deponendi tam certa est, tamque indubitata, fideque Catholica tenēda, atq; ex Scripturis sacris adeo euidenter*

ter

ter deduci potest, vt isti informatores prætendunt, mirum est, et obseruatione dignum, quomodo Sancti Ecclesiæ Catholicæ Doctores, columnæ, ac fundamenta, Patres antiqui, qui fidei Catholicæ vera erant lumina, vigilesq́ custodes, & acerrimi defensores, atq́ in Sacris literis eruditi, & in Ecclesiæ regimine clari, neque magis in Principes terrenos, quam in Pontifices Romanos propensi, sed omnes ab odio, amicitia inimicitia vacui, & neque in hanc partem magis quàm in aliam protendentes (quod vtinam de Testibus a Card. Bellarmino adductis dici similiter posset) hanc fidē Catholicam ignorarunt, neque eam ex Christi Domini verbis, Pasce oues meas, Quodcunque solueris &c. aut ex aliis sacræ Scripturæ locis, ex quibus noui isti Ecclesiæ Catholicæ Patres, et Doctores, eam clarissime deduci posse imaginantur, colligere potuerūt; quin potius voce concordi, et vnanimi consensu pronunciare non dubitarunt, Reges,

Reges, & Principes *supremos soli* Deo *in tēporalib⁹ esse subiectos, neq; ab aliquo prœterquā a* Deo *solo, vtpote a* Deo *secūdos, et solo* Deo *minores pœnis tēporalib⁹ castigādos esse.*

33 *Neque illud etiam*, B^me^ Pater, Lateranensis *Concilij sub* Innocentio 3. *celebrati decretum, quod nunc Card.* Bellarminus *paucis tantùm ab hinc annis tā magni æstimauit (nam illud in suis Controuersiis, vbi tamen de hac quæstione copiosè disputauit, silentio prœteriuit, & exemplū duntaxat eiusdem* Innocētij Othonem *quartum deponentis pro sententia sua confirmanda adduxit, &, quod notatu dignum est, vix quispiā ante eū Theologus, qui controuersiam hanc de industria pertractauit, decretum illud, tametsi iā per totos trecentos annos in Corpore Iuris Canonici registratū fuerit, ad hanc doctrinā cōprobandā vrget) ad potestatē hanc Summi* Pōtificis Principes *deponendi, vt rē de fide certā euincendā vllius planè momēti est,*

est, cum clarum sit, in materia odiosa, ex qua præsertim magnæ in Republica Christiana perturbationes oriri possunt, Reges *&* Principes *supremos nominibus generalibus, vti* Dominorum, *siue principalium*, *siue principales non habentium, de quibus tantùm decretum illud loquitur, nequaquam comprehẽdi*. Notum *enim* est, *ait* Andreas Duuallius,[i] *Doctor Sorbonicus, & in Academia Parisiensi Regius Theologiæ Professor*, nomine clericorum in materia odiosa non venire Episcopos, nec interdum nomine monachorum in eadem materia religiosos, neque similitèr nomine Dominorum Reges propter dignitatis Regiæ sublimitatem, & maiestatem. Dicam amplius nomine Regum in materia odiosa non venire fortè Reges Galliç, propter singulares, quibus cçteris Regibus prçcellit prçrogatiuas.

i In Disput. de suprema Rom. Pont. in Ecclesiam potestate part. 2. quæst. 4. pag. 264.

34 *Sed decretum istud, eiusque*

autho-

authoritatem nos breui aduersùs Leonardi Lessij discussionem *nomine D.* Singletoni *euulgatam copiosiùs, Deo dante, discutiemus. Interim si* Sanctitas *vestra decretum illud, & singula illius verba sedulò examinare, & cum simili* Friderici *secundi Imperatoris decreto conferre voluerit, clarè perspiciet, neq; decretum illud contra* Reges, *&* Principes *supremos, sed tantùm contra quosdã principales* Dominos, *ac* Magistratus *supremis* Principibus *subiectos ex supremorum* Principum *consensu sancitum esse, neq; de potestate Summi* Pontificis *subditos a fidelitate talibus* Dominis, *ac* Magistratibus *debita verè absoluendi, sed absolutos sse solùm declarandi,* * *quæ quæstio longè diuersa est, & diuersis omnino fundamentis nititur, (vt alibi ostendam) in eo decreto sermonem esse, nec deniq; in eo decreto vllam prorsus clausulam contineri ex ijs, quæ iuxta communem Theologorum sententiam ab*

k In Confutat. Resp. *Thomę Fitzh.* part. 3. c. 9. & seq. qui totam illam discussionem mutuam sumpsit & in sua respõtione fere ad verbum collocauit.

* Quare verba illa Concilij Lateranensis, *Si Dominus temporalis*, non rectè Gallicè vertuntur, *Si quelque Prince*, neq; illa, *vt extunc ipse Vasallos ab eius fidelitate denunciet absolutos*, rectè vertuntur, *a fine que il absolue ses subiects du serement de fidelitè*

ab ipſomet etiam Bellarmino *approbatam ad rem* fidei *definiendam neceſſariò requiruntur : adeo vt mirum non ſit, quòd doctrina hæc pro poteſtate Papali Principes deponendi, vel propter præfatum Concilij* Lateranenſis, *vel alterius* Concilij *decretum ab antiquioribus Theologis tanquam fides Catholica, aut contraria vt hæretica minimè reputata fuerit.*

35 *Fateor equidem*, Bonifacium *octauum , vt Hiſtorici tradunt*, Philippum Pulchrum *Chriſtianiſſimum Francorum Regem illi in temporalibus ſubiectum eſſe literis ad eum derectis affirmaſſe, & contrarium credentes hæreticos reputaſſe , Regnumque Franciæ ob* Philippi *contumatiam ad Romanam Eccleſiam deuolutum eſſe declaraſſe: Sed ſcio etiam* Bonifacium *eo nomine male a quamplurimis audiuiſſe, & inſigni arrogantia, temeritate, ſuperbia a Scriptoribus*

bus Catholicis * *notatum esse. Scio etiam* Marsilium *Paduanum, qui a plerisq; Doctoribus hæreticus reputatur, & in prima classe Indicis expurgatorij collocatur, idq; meritò, si hæreses suas cum pertinacia docuerit, hanc Summi Pontificis Principes deponendi potestatem acriter impugnasse: Sed quod* Marsilius *hæreticus habitus fuerit, aut in prima classe dicti Indicis nominatim repositus, quòd hanc Summi Pontificis potestatē impugnauerit, hoc certè nulla ratione efficaci comprobari potest. Et propterea Authores illi qui de hæresibus scribunt, &* Marsilij *errores particulatim recensent, vt* Castro, Prateolus, Sanderus, *& alij nullā prorsus nouæ huius, et eorum temporibus, hoc nempè sæculo incognitæ* hæreseos *mentionem faciunt. Adeo vt* Sanctitas *vestra clarè perspicere possit, nouam hanc Catholicam fidem in orbem Christianum a paucis quibusdam, præsertim* Iesuitis, *qui vestram authoritatem*

* *Platina* in vita Bonefacij *Joan Tillius* in Chronico ad annū 1302. *Gaguinus* lib. 7 Hist. in *Philippo* pulchro *Viguerius* ad annum 1301.

ritatem

ritatem in magnum fidei Catholicæ scandalum nimis exaltare student, paucis ab hinc annis inuectam esse. Nam tametsi ipsemet Card. Bellarminus *pro hac noua sua fide Catholica confirmanda* septuaginta *Authores proferat, e quibus nemo* Gregorio *Papa septimo antiquior,(quod euidens sanè iudicium est quàm parū Catholica hæc doctrina sit) et plurimi ex illis non ipsius sententiæ de indirecto Summi* Pontificis *in temporalibus dominio fauent, sed directam eius temporalem Monarchiam propugnāt, paucissimi tamen ex illis reperientur, qui tametsi doctrinam hanc Principes deponendi accerrimè tueantur, eam tamen pro* fide Catholica *amplectendam, & contrariam vt* hæreticam *reputandam esse affirmarunt.*

36 *Sed attendat, obsecro,* Sanctitas *vestra, quàm parum æquè potestatis vestræ propagatores in re tā graui procedant, quasi parum referre arbitrentur, quòd authoritas* Ecclesiæ, *aut*

aut Principum *Christianorum deprimatur, dummodo potestas vestra dilatetur, cum tamen* Christus *Dominus &* Deo, *&* Cæsari, *& vnicuiq; quod suum est, reddendum esse disertissimis verbis pronunciet. Notum est, quàm clarè, quàmq; apertè celeberrimum illud* Constantiense *Concilium declarauerit, & praxi etiã confirmauerit* (*nam* Angelum *de* Corario *dictum antea* Gregorium *duodecimum*, Cardinalem, *& Sedis Apostolicæ in* Marchia Anconitana *Legatum de latere, & Vicarium inuiolabiliter permansurum creauit*) Cõcilium Oecumenicum *legitimè celebratum* superius *esse* Sũmo Pontifice, *in ipsumq; potestatem habere tam cogentem, quàm dirigentẽ; hanc tamen declarationẽ, qua vix vlla clarior inueniri poterit, et quã Doctores Theologi, qui Concilio interfuerunt, eiusq; mentem optimè norunt, in eo proprio, et stricto sensu, vt verba sonant, intellexere, posteriores potestatis*

Pontificiæ amplificandæ patroni, eo quòd authoritatē Summi Pontificis, quam ipsi totis viribus dilatare student, deprimere, & extenuare videatur, in controuersiam vocare non dubitarunt, atq; ad hanc tam claram definitionem eneruandam plura effugia excogitarunt, vt quòd a Summo Pōtifice confirmata non fuerit, aut de solis Pontificibus tempore Schismatis intelligi debeat, et his similia.

37 Et nihilominus iam, cum de potestate Summi Pontificis Principes deponendi, & pœnas quascunq; temporales coercitiuè infligendi agitur, atq; de temporali fidelitate, quam fideles quiq; subditi Principibus suis ex lege Christi exhibere debent, tractatur, et isti potestatis Pōtificiæ propugnatores, quædam sacræ Scripturæ testimonia a Sanctis Patribus nequaquam in eo sensu, quem ipsi effingunt, intellecta, ad suam sententiam confirmandam proferunt, & nullam Ecclesiæ, seu Concilij Oecumenici definitionem,

nitionem, sed quorundam Romanorum Pontificum facta, quæ tametsi a Principibus, populoque Christiano improbata fuere, Ecclesiæ Catholicæ praxim appellare non dubitant, ad eam comprobandam producunt (vt sophistica eorum argumenta ex subordinatione potestatis temporalis ad spiritualem, ex necessitate Ecclesiam defendendi, bonum spirituale promouendi, Principes iniquos castigandi & petita nũc breuitatis causa taceã) hanc tamen potestatem Principibus adeo iniuriosã, et subditorum conscientiis periculosam, tamq; infirmis fũdamentis nixam, in disputationẽ venire non sinent, sed pro ea, qua in curia Romana *præditi sunt authoritate, quoscunq; libros, qui tam nouam, tamque periculosam doctrinam sincerè examinant, eorumque fraudes apertè detegunt, et sophistica eorum argumẽta manifestè dissoluũt, prohibent, proscribunt, damnant, eorumq; Authores in hæreseωs barathrum de-*

trudere, et non tam argumẽtis, quàm contumelijs superare tentant, et vnũ Lateranẽsis *Concilij decretum, quod neque de Principibus supremis loquitur, nec decretũ est fidei sed reformationis tãtũ, nec verba continet aperta, sed ambigua, quæq; in varios sensus trahi poßunt; ad finẽ huic controuersiæ imponendum adeo sufficiens esse volunt, vt decretum illud, seu potius illam* Decreti *expositionẽ, quam ipsi ex verbis contra apertum, et genuinũ eorum sensum extorserũt, examinare, aut in dubium vocare nefas eße putent, et nihilominus* Concilium Lateranense, Conciliũ Lateranense *ingeminare non desinunt, cum tamen reuera non* Concilij *decretum, sed priuatum suum spiritum, sicut plærique Nouatores* sacras scripturas *conclamitare solent, seu verba* Concilij *priuato suo spiritu intellecta pro ipso* Concilio *Christiano orbi obtrudere studeant.*

38 *An æquum sit*, B^me^ Pater,

decre-

decretum fidei *Concilij* Constantiensis *clarum, apertum, indubitatum, eo quòd potestati amplissimæ, quam Summus* Pontifex *super totam Ecclesiam simul congregatam habere prætẽdit, aduersetur, secus quàm verba propriè, et generaliter accepta significant, & quàm Doctores Theologi, qui* Concilio *interfuêre, sensum decreti esse intellexerunt, interpretari, & iniquũ sit, decretum, non* fidei, *sed* reformationis *tantùm Concilij* Lateranensis *obscurum, dubium, inuolutum, & fortasse non ipsius* Concilij, *sed* Innocentij *decretũ in* Cõcilio (*cum* multa venêre tũ quidẽ in consultationem, nec decerni tamẽ quicquã apertè potuit, *ait* Platina, *l* & Conciliũ illud generale, quod more Papali grandia prima fronte præ se tulit, in risũ, & scõma, quo Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Decanos, Archidiaconos, omnesq; ad Conciliũ accedẽtes artificiosè ludificatus est, desijt. Illi enim

l In vita Innocentij tertij.

nim cum iam nihil geri in tāto negotio cernerent &c. *quæ ob reuerētiā taceo, ait* Matthæus Parisiēsis;[m] *& Idem alibi*, [n] Recitata fuere in pleno Concilio capitula sexaginta, quæ alijs placabilia, alijs videbantur onerosa, *et tamen in Concilio iam edito septuaginta capitula reperiuntur) eo quod ad temporalem Summi Pontificis in Principes supremos Potestatem confirmandam detorqueri possit, an inquam iniquum sit illud decretum iuxta verborum proprietatē, & regulas iuri humano & naturali consonas explicare, et nō tā decretum ipsum, quàm illā Decreti expositionē, quā paucissimi quidam Theologi (cū iam omnia eorum argumenta ad potestatē Summi Pontificis Principes deponendi, vt rem fidei certò comprobandam penitus euersa esse perspexissent) ad eam vtcunque confirmandam contra clara, & aperta Decreti verba, iuxta prædictas regulas intellecta, adinuenerunt, in controuersiam*

vocare

m In Ioanne Rege anno 1215.
n In historia minore vt refertur in Antiquit. Britan. in vita *Stephani* Langtoni.

vocare, apud vestram prudentiam, & viros quoscunque eruditos iudicium esto.

39 *Verùm enimuerò si* Sanctitas *vestra vniuersa huius doctrinæ fundamenta examinare in animo habuerit, atque hæc, quæ subiiciam, capita obseruare voluerit, nempe discrimen* inter *Ecclesiam Romanam & Catholicam :* inter *Ecclesiam firmiter credentem aut definientem, & probabiliter tantùm opinantem :* inter *facta aut decreta Summorum* Pontificum, *quæ à Principibus, populoque Christiano improbata fuère, & praxim Ecclesiæ, quæ nisi ab Ecclesia approbata fuerit, Ecclesiæ praxis dici non debet :* inter *decreta Summorum Pontificum, aut etiam Concilii generalis, quæ ab ipsis lata sunt, quatenus authoritate spirituali ex* Christi *institutione pollent, atque eorundem, quatenus temporalem Iurisdictionem ex Principum priuilegiis, & consensu*

sibi communicatam habent : inter *facta, aut decreta Summorum Pontificum Principes per sententiam deponentium, aut subditos a fidelitate absoluentium, atque eorundẽ Principes depositos, aut a Republica deponendos esse, aut subditos a fidelitate absolutos esse opinantium :* inter *potestatẽ, quæ Ecclesiæ competit, quatenus* Ecclesia *pro orbe Christiano ex temporali & spirituali potestate conflato accipitur, et quatenus* Ecclesia *pro spirituali tantùm* Christi *Regno ex sola spirituali potestate cõposito vsurpatur :* inter *potestatẽ extraordinariã patrandi miracula, & facta illi respondentia, quæ Apostolis, atque etiam Prophetis, qui Sacerdotes non fuêre, sæpe cõcessa est, et potestatem ordinariam et facta illi respondentia, gubernandi Ecclesiam, quæ itidem iisdem Apostolis, eorumque Successoribus communicata est :* inter *potestatem absolutam, & omnimodam, Ecclesiam defendendi, bonum spirituale promouendi, animas*

in

in paradiſum perducendi, Principes iniquos corrigendi &c. atque poteſtatem ſufficientem, quantum eſt ex parte poteſtatis, eadem faciendi, limitatam, & ſpiritualis Reipublicæ, prout a Chriſto inſtituta eſt, conditioni accommodatam: quomodò *poteſtas temporalis, & ſpiritualis actibus, officiis, dignitatibus diſtinguantur, atque in ſuo ordine ſupremæ ſint, neque ab inuicem dependentes, neque finis vnius finem alterius* per ſe & *ex natura ſua, ſed ſolùm per accidens ex intentione referentis reſpiciat:* & denique, *in quo cardo huius controuerſiæ vertitur, aliud eſſe imperare, dirigere, ordinare temporalia, ſeu quomodo ordinanda ſint, declarare, pœnaſque temporales per modum præcepti, ſeu directionis imponere; et aliud, diſponere de tēporalibus, vti gladio temporali, & pœnas temporales per modū coercitionis, et vi non tantùm directiua, ſed etiam coactiua, vt loquuntur, infligere; ſi inquam* Sanc-

citas

titas *vestra hæc capita, ad quæ potissima omnia argumenta, quæ pro potestate Papali, Principes deponendi afferri solent, reuocantur, obseruare voluerit, clarissimè perspiciet, Doctrinam hanc, si à multitudine Doctorum abstrahamus, vix aliquo probabili fundamento nixam esse.*

40 *Sed neque mirandum est*, B[me] Pater, *si præsertim naturæ humanæ imbecillitatem inspiciamus, quòd tā multi Authores, minis potiùs deterriti, præmijsue allecti, aut aliorū exemplo & authoritate ducti*, tanquā oues aliæ alias, quæ præcedunt sine iudicio sequentes, velut aues, quæ vnā volantē aliæ omnes sequūtur, [o] *magis, quàm solida ratione persuasi, doctrinam istam amplectantur, cum libros quoscūq;, qui eā aut impugnāt, aut etiam in disputationem vocant, statim condēnetis, eorumq; Authores maledictis, opprobrijs, contumelijs proscindi, atq; vt hæreticos, Sedisque Aposto-*

o Nauar., in Manuali cap. 27. nu. 289.

Apoſtolicæ hoſtes traduci permittatis, & pœnas etiam, atq; Cenſuras Eccleſiaſticas illis, niſi quamprimum ſe purgent, nullum tamen crimen, à quo ſe purgare debeant, indicantes, decretis publicis comminemini, cum etiam, vt verbis vtar Ioannis *Maioris*, [p] Papa det dignitates Eccleſiaſticas, & ſic homines ei blandiuntur dicentes, quòd ſolus poteſt omnia quadrare rotunda, et rotundare quadrata tã in ſpiritualibus, quàm in tẽporalibus. *Atq; hoc ipſũ Nuncij veſtri* Apoſtolici *in Belgia commorantis literæ magis cõfirmãt, qui iam nuper (vt quidã apud nos hic ferũt) ad quẽdã huc ſcripſit, idcirco Antonium* Champneũ, *Doctorẽ Sorbonicum in* Archipręsbyterum *electũ nõ fuiſſe, quòd illã fidelitatis profeſſionẽ, de qua ego non ſemel mentionem feci, quæq; vt alias* * *oſtẽdi, ſupponit, non eſſe in Sũmo Pontifice poteſtatem Principes deponẽdi, olim vnà cũ* duodecim *alijs* Anglis Sacerdotib⁹ *viris piis, atq; eruditis*

p In Diſput. de authorit. Eccleſ. in fine.

* In *Appendice* ad Diſputationem Theologicam aduerſus *Frãciſcum Suarez* part. 2. ſec. 4. nu. 17. & ſeq. & in *Confutatione* Thomæ Fitz-herberti part. 1. cap. 5.

eruditis Reginæ Elizabethæ *fecerat.*

41 *Sed caueat* Sanctitas *vestra, ne iste authoritatem vestram vi magis, quàm ratione dilatandi*, Regiamq; Maiestatem *deprimẽdi modus*, (*præter scandalũ, quod Religioni Catholicæ afferre, et periculum, quod animæ vestræ creare potest,*) *etiam Principes Christianos tandem euigilare faciat, qui si ijsdem modis, medijs, ac vijs ad iura sua propugnanda vterentur, donec Ecclesia controuersiam inter* Romanos Pontifices, *& ipsos diremisset. quibus vestram* Sanctitatem, *vestræq;* Sanctitatis *Ministros ad ea oppugnanda vti quotidiano experimento videmus, statim profectò Doctorum torrens conuerteretur retrorsum, & neq; rigidi isti librorum Censores decreta sua Censoria tam facilè promulgarent, neq; prætensæ huius potestatis propugnatores de multitudine Authorum, qui secum in ea defendenda conspirant, amplius glori-*

andi

andi occasionem proculdubio haberent. Sed neq; in Scholastica Disputatione, *ait Melchior* Canus,[q] plurium authoritas obruere Theologum debet, sed si paucos viros modo graues secum habet, poterit sanè aduersùs plurimos stare.

q Lib. 8. de locis cap. 4.

42 *Cum igitur satis constet, caussam hanc inter* Principes *supremos, & Romanos* Pontifices *de potestate, quam isti vendicant illos deponendi, et de eorum regnis disponendi,* verè *apud Catholicos controuersam esse, & de ea re certare Scholasticos, et adhuc sub Iudice litem esse (atq; hoc ipsum etiam plærosq; ex Patribus* Iesuitis *ex animo sentire mihi persuasissimum est, quomodocunq; exteriùs vel honoris sui, vel alterius emolumenti, aut humani respectus intuitu cum vestra præsertim* Sanctitate *se gerant, quandoquidem, vt alias rationes, quæ illud mihi certò persuadent, nunc missas faciam, vix quempiam apud nos alicuius notæ, aut nominis, ex tot Anglis*

glis Catholicis, qui Patres *illos suos Directores, Instructores, et spirituales Pastores habent , illud fidelitatis iuramentum, in quo potestas Summi* Pontificis Principes *deponẽdi verbis disertissimis abnegatur, quando illis a Magistratu ministrari contigerit, respuere satis compertum sit) perpendat obsecro prudentia vestra, quam authoritatem habeat S*anctitas *vestra* Principibus, *populoque Christiano præcipiendi, vt* lite hac pendente, *eos tantùm libros, scripturasque euoluant, qui iura vestra, & authoritatem illam, quam* Sanctitas *vestra in eos habere prætendit, corroberant, neq; eos libros, scripturasque qui iura sua, et immunitatẽ suam supremam illis ex lege* Christi, *et naturæ debitã confirmant, et testimonia, quæ in contrarium afferri solent, euertunt, vllatenus perlegere præsumant: et quo iure, quâue potiùs iniuria* Sacra *illa* Congregatio *libros meos, qui controuersiam hanc circa Principum,*

pum, Pontificumque iura, noſtramq; obedientiam, quæ illis reſpondet, ſincerè examinant, hac eadem lite etiam pendente, *condemnauerit, eoſq; in* Indice *librorum prohibitorum, nullo prorſus crimine, ſiue ſpeciatim ſiue generatim, ob quod in illo* Indice *reponi debent, indicato, collocari mandauerit.*

43 *Sed vereor*, B.^me Pater, *ne talia tam iniuſta decreta, tales tam iniuſtæ librorum, qui Summorum* Pontificum, *&* Principum *ſupremorum iura, illamque obedientiam, quam vtriſque ex lege* Chriſti *debemus, fideliter pertractant, quamdiu ius hæc ſub Indice exiſtit, condemnationes, quantumuis ſub prætextu religionis Catholicæ, & poteſtatis Pontificiæ propugnandæ authoritate etiam Apoſtolica factæ, authoritatem Apoſtolicam labefactent, non foueant, euertant, non firment, ipſamque* Apoſtolicam Sedē *tum* Principibus, *tum etiam ſubditis Chriſtianis tem-*

temporis progreßu deſpicatam reddent.Hoc ſcio,et affirmare non dubito,talia tam iniuſta decreta,atq; viris verè Catholicis, quiq; pro ſide Catholica ſanguinem ſuum, ſi opus eſſet nō minus parati ſunt, quam ipſimet Cardinales, *pace eorum dixerim, qui ea condiderunt, prefundere, adeo iniurioſa, iuſtā ijſdem Catholicis, ſe, ſuamq; famam, ac innocentiā tuendi cauſa, occaſionem præbere diligentiùs, quàm antea examinandi,* * *quantum vim habeat* Index *ille expurgatorius obligandi fideles, vt ab eorum librorum, qui in eo collocantur, lectione abſtineant, eoſq; libros, qui ibidem vt hæretici vel erronei reponuntur, verè hæreticos, et erroneos eſſe, exiſtimare debeant.*

* Vide etiam infra in *Appendece* § 6.nu.8. & ſeq. circa *Indicem expurgatorium.*

44 *Si enim cauſam inquirere quis velit, ab quam mea* pro Iure Principum *Apologia(quæ vniuerſa Card* Bellarmini *argumenta, quibus demonſtrare prætendit,* certum eſſe, *et* de fide, *poſſe* Romanū Pontificem

Principes

Principes *supremos suis Regnis priuare, funditus euertit, & non tam demonstratiua, quàm vix probabilia esse ex ipsiusmet* Bellarmini *principiis perspicuè cōmonstrat) in Indice librorum prohibitorum ex decreto* Sacræ Cōgregationis *collocari debeat, hanc solā, aut potissimam inueniet, quia nimirum* Cardinales *illi, & Theologi Romani in ea sunt opinione, quòd* certum sit, & de fide, *esse in* Romano Pontifice *ex* Christi *institutione potestatem* Principes *supremos suis Regnis, atq; dominijs priuandi. Verùm hanc fidei Catholicæ regulam, (nēpè paucos quosdam Theologos Romanos, qui priuata, atq; fallibili opinione hanc, vel illam doctrinam, aut* Catholicam, *aut non* Catholicam *esse pronuntiant) neque Antiqui Ecclesiæ Catholicæ Patres, & Doctores, agnouerūt, nec quispiam alius Catholicus semper sequi tutà conscientia potest, cum Thologi illi vel propriis opinionibus moti, vel propriis affectionibus abducti fallere*

 possint,

possint, & falli, eosq́; libros et Authores, qui alioquin commendandi essent condẽnare, et qui improbandi essent, approbare queant. Nobis [r] quidẽ, *inquit Melchior Canus ex Tullio*, schola nostra magnã licentiam dat, vt quodcunq; maximè probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere, sed non licet tamen eos, qui nobis sunt aduersi temerè, ac leuiter condemnare.

r Lib 8 de locis cap. 4.

45 *Si quis itidẽ causã scrutari velit, ob quã mea* de iuramẽto fidelitatis Disputatio *in libris, qui in codẽ Indice prohibiti sunt, ex eodẽ* Sacræ Cõgregationis *decreto annumerari debeat, hanc solã, vel potissimam esse statim reperiet, vel quia* Cardinales *illi, et* Theologi *Romani in ea sunt opinione, quod Iuramentũ illud plura in se contineat, quæ fidei, et saluti aperte aduersãtur quã eorũ opinionem vel planè falsã esse, vel ad summum apud quosdã Theologos controuersam* disputatio illa *perspicuè cõmonstrat, vel quia eadẽ* Disputatio *apertissi-*

mo

ostendit, Breuia *vestra* Apostolica *ad Catholicos Anglos directa, in quib⁹ iuramentū illud multa in se cōplecti, quæ fidei et saluti apertè aduersantia sunt, declarātur, aut ex falsis eorundē* Cardinaliū, *atq; Theologorū informationibus exarata esse, aut in probabili tantū vestra, eorundēq; Theologorū opinione fundata, queq; proinde nō magis obligant fideles, quàm ipsamet opinio, cui innituntur, obligare queat, vt ibidem ex* Francisci Suarez *doctrina manifestissimè comprobaui.* [f].

46 *Verùm quàm iniustæ hæ, et planè insufficiētes libros Catholicorum, qui* Regalia Principum *iura, quæ inter ipsos, et* Romanos Pontifices *controuersa sunt, veritatis in re tam graui perdiscendæ studio sincerè tractant, prohibendi, eorumq; Authores, vt capitales Sedis Apostolicæ hostes traducendi causæ sint, neque vestram* Sanctitatem, *neque alium quemuis Theologiæ peritum latere potest. Superiorum quidem iussa sequi, eorumque mandatis simplici oculo, & absque*

f cap. 1. sec. 4. & cap. 10. sec. 2. num. 41. & seq.

vllo prorsus examine obtemperare, quando eis obsequendo alterius supremi superioris legem transgredi nullum periculum est, rem sanè licitam, laudeque dignam esse nemo inficias ibit, atque in hoc casu, obedientia, quam cęcam vocant, plurimum laudanda, & commendanda est; attamē cum quęstio est, *an talis obedientia, quam terrestris Superior, etiam Sūmus Pontifex a nobis exigit, sit vera in temporalem Principem, cui temporalem obedientiam ex lege Christi, & naturæ debemus, rebellio, atq; temporalis perduellio, rem totam (cum oporteat nos Deo magis quam hominibus obedire, & tum Deo, tum Cęsari quę sua sūt reddere teneamur) diligenter examinandā esse, & an talis obedientia spiritualis, vel tēporalis, Deo vel Cæsari, Pastori spirituali, vel Principi tēporali debita, studiose expendendum esse, atque in hoc casu obedientiam cæcam non laudandam, sed condemnandam esse, vtpote ignorantiæ crassæ, culpabili, affectat

* Vide infra in Appendice §. 15. quomodo in dubio parendum sit Superiori.

innixam, nemo, qui Theologiam vel primoribus labris degustauit, dubitare potest.

47 *Cũ igitur iam quæstio sit inter* Regem *nostrum* Serenissimũ, *eiusque subditos Catholicos ex vna parte, & inter vestram* Sanctitatem *ex altera, an* Breuia *vestra* Apostolica, *quæ recens fidelitatis Iuramentum, vt multa in se complectens, quæ fidei, & saluti aperte aduersantur, prohibent, spiritualem obedientiam, vel temporalem inobedientiam præcipiant, seu quod idem est, an Iuramentum illud sit vera temporalis obedientiæ professio, vel expressa, aut tacita spiritualis obedientiæ abiuratio; Cum iam quæstio sit, an* Romanus Pontifex *sit legitimus* Principis *nostri* Serenissimi *in tẽporalibus Iudex, ita vt et ipsum deponere, & pœnis quibuscunq; tẽporalibus afficere, et de regnis eius, atq; dominijs tẽporalibus disponere in ordine ad bonũ spirituale possit, vel an* Rex *noster, vtpote supremus noster in tẽporalibus*

 Dominus

Dominus, & à Deo *secundus*, & *solo* Deo *minor, nullum omnino Iudicem aut Superiorem, cuius authoritate, dominijs suis priuari, aut pœnis temporalibus coercitiuè castigari sub cuiuscunq; boni etiam spiritualis prætextu possit, in terris habeat; an nefas sit nobis Anglis Catholicis controuersiam hanc grauissimam, quæ nos*, Regemq; *nostrum, nostrasq; conscientias tam intimè attingit, diligenter expēdere, et an* Breuia *vestra* Apostolica, *vel in falsa informatione, vel in probabili tantùm opinione, quam nemo sequi ex debito tenetur, vel in definitione aliqua, aut suppositione infallibili, quam omnes amplecti debent, fundentur, reuerenter discutere, & quam vim obligandi habeant cum debita submissione fidelibus proponere, & an æquum, ac licitum sit libros illos qui grauissimam hanc controuersiam non pertinaci animo, aut contradicendi libidine, sed veritatis tantùm pervestigandæ gratia planè, ac sincerè tractant,*

quam-

quamdiu lis hæc sub Iudice est, prohibere, eorumque Authores quibuscunque maledictis insectari, tum vestræ prudentiæ, charitati, iustitiæ, tũ toti Christiano orbi iudicandum relinquo.

48 *Neque enim* Sanctitas *vestra, uti opinor, imaginari potest, aut non posse* Romanos Pontifices, *vel ex mala informatione, vel ex fallibili sua, & aliorum opinione in suis* Breuibus *errare, falsamq; doctrinam, & verbo Dei repugnãtem, pro vera supponere, (nam contrarium Apostolicæ* Nicolai *primi*, Celestini *tertij*, Ioãnis Vigecimi *secundi, &* Bonifacij *octaui Summorum* Pontificum *literæ*, Breuia, *& decretales manifestè cõprobant* [t] *) aut teneri Catholicos* declaratiuo *vestræ* Sanctitatis *præcepto magis obedire, quàm opinionẽ illã, et rationẽ cui innititur, approbare teneantur, cũ legis declaratiuæ obligationẽ ex ratione ob quã actio præcipitur, aut prohibetur, siue ex obligatione prioris præcepti, quod lex illa declaratiua sup-*

t Vt videre licet in *Disputat* mea Theolog. cap.10. sec.2. nu.47. & seq.

supponit, solummodò pendere, apud Theologiæ peritos manifestissimũ sit.

49 *Et si Romani* Pontifices *in A-*postolicis *suis literis, decretis, Breuibusue conficiendis eo modo, quo diximus, falli possint et fallere, an forsan nefas est existimare*, Cardinales *illos, & Theologos Romanos in Indice librorum prohibitorum componendo errare similiter posse, et vel proprias opiniones, quæ forsan re quidem vera falsæ sunt, sequutos, vel etiam mala informatione, aut humana aliqua vindictæ, inuidiæ, iracundiæ affectione abductos, cum ipsi homines sint, et humanis infirmitatibus obnoxij vt cæteri, libros aliquos in illo Indice collocare, qui alioquin tam rigidam Censuram nullatenus demerentur; Quin etiam eorundemmet* Cardinalium *libri, si vehemens aliquis directæ Summi* Pontificis *in temporalibus monarchiæ propugnator, illorũ Censor esset, expurgatorium Indicem nequaquam effugerent; & quàm graui censura istorum Censorum libri*

libri ob scandalosam, seditiosam, damnabilem & perniciosam doctrinam quam tradunt, in Senatu Parisiensi *iam sæpiùs notati fuerint, tam notum est, vt illud denuo repetere superuacaneum esse reor.*

50 *Verùm si* Sanctitas *vestra fidem Catholicam tam infirmis niti fundamentis sinat, si incertas opiniones, quæ potestatem vestram dilatant, pro fide Catholica Christiano orbi quasi per vim obtrudi permittat, si paucos tantùm* Cardinales, *& Theologos Romanos, qui vestram authoritatem amplificare student, pro fidei Catholicæ regula habendos esse sustineat, & quos libros ipsi, aut incertas opiniones sequuti, aut proprijs affectionibus dediti, permittunt permittendos, quos prohibent prohibendos, quos vt hæreticos condemnant, condemnandos esse quamdiu lis sub Iudice est, patiatur, eosque Catholicos, qui nouam suam, Patribusque antiquis incognitam Catholicam fidem in controuersiam*

vocare

vocare audent, maledictis, opprobrijs, atque Censuris exagitari, & tanquam hostes Pontificiæ potestatis, Sedisque Apostolicæ traduci impunè ferat, qualis in Ecclesia Catholica fidei Catholicæ confusio tandem fiet, dum quibusdam, pro ea quæ in Curia Romanâ *authoritate cum pari eruditione coniuncta præ cæteris pollent, liberum erit incertas suas opiniones, quæ præsertim potestati Pontificiæ fauent, pro fide Catholica venditare, & quam aperta hæc & plana ad infidelitatem, & Atheismum in orbem Christianum inducendam via sit, experientia, proh dolor, cito comprobabit.*

51 *Si quis iam* Bartholus, *aut alij illi similes directæ Summi* Pontificis *in temporalibus* Monarchiæ *acerrimi defensores tanta in* Curia Romana *authoritate, quanta Card.* Bellarminus *nunc fulget, eminerent, eiusque, & cæterorum Iesuitarum libros, qui talem Summi Pontificis Monarchiam vehementer impugnãt,*

con-

condemnandos, atq; in Indice libro-rum prohibitorum ex decreto Sacræ Congregationis, *& mandato vestræ* Sanctitatis *reponendos esse, prius-quam Ecclesia litem diremisset, pro-curarent, atq; vt hæreticos, Sedisque Apostolicæ authoritatem infringen-tes apud orbem Christianum traduce-rent (hæc enim, & similia Epitheta quosdam Canonistas eiuscemodi libris apponere solitos esse notum est) quid Patres Iesuitæ, doctiq; omnes de tali-bus decretis sentirent, et quantū robo-ris tales prohibitiones etiā ex mādato vestræ* Sāctitatis, *et sub prætextu re-ligionis Catholicæ promouendæ, et Pō-tificiæ dignitatis amplificandæ factas habituras esse existimarēt, et vtrum tales Censuras, quādiu lis sub Iudice esset, planè iniustas esse plenis faucib⁹ cōclamitare pertimescerēt, viris eru-ditis, et qui cū Patribus illis vel parū versati sunt, iudicandum relinquo.*

52 *Verùm modus ille*, B^me Pater, *quem* Cardinales *illi in libris meis cōdemnandis tenuerunt, magis exor-bitans*

bitans est, eoq́; periculosior, quo causa grauior, et maiorem Supremis Principibus *iniuriã afferre dignoscitur;* Canonistę *enim cum Card.* Bellarmino *de modo tantùm certant, quo Reges coronis suis exui per Papam possint, sed quod exui possint, ambo consentiunt, & propterea non maius damnum* Reges *accipiunt, quantum ad depositionis effectum, siue hoc, siue illo modo, siue directè, siue indirectè purpura exuantur, vtroq́; enim modo nudi manent, Regnisq́; spoliati. Sed controuersia inter me, & Card.* Bellarminum *non est de modo, quo* Papa *possit, sed de re ipsa an possit Principes deponere. Et propterea quàm grauem* Principibus *iniuriam, et animabus etiam periculum afferant tales librorum prohibitiones in controuersia, quæ ad debitam* Deo *&* Cęsari *obidientiam iure diuino præstandam spectat,* Sanctitas *vestra ignorare non potest.*

53 *Si enim* Christus *Dominus S.* Petro, *eiusq́; successoribus talē Principes*

cipes deponendi potestatem re quidē vera non concesserit, sed Romani Pontifices a tempore Gregorij Papæ septimi sophisticis quibusdam ratiunculis moti eam contra Christi Domini præceptum vsurpauerint, an non existimat Sanctitas vestra, Romanos Pontifices Christi legem violasse, Principes supremos summa iniuria affecisse, subditorum conscientias sub specioso religionis prætextu illaqueasse, & fidelium animas in æternæ salutis discrimen (pro quo ipsi, et vos etiam, si eorum vestigia absque debito examine sequamini, exactā in tremendo iudicii die rationē reddituri estis) adduxisse, dum eos ab illa obedientia, quam ex Christi lege suis Principibus exhibere tenebantur, decretis, Censuris, aliisque terroribus, lite adhuc pendente, auocare studuerant? Atquè hoc ipsum, B.me Pater, inter Reges, et Principes, eorumq; subditos ex vna parte, et inter Romanos Pontifices ex altera iā certatur, et adhuc sub Iudice

lis

lis est, an Papa possit Principes deponere. Et non permittet Sanctitas *vestra, vtriusq; iura examinari, sed libros, scripturas, testimonia illa, quæ ius vestrum confirmant, tantùm approbabit, & quæ* Regis *nostri* Serenissimi, *aliorumq; omnium Principũ Regalia iura corroborant, condemnabit, & ab ijs, ad quos spectat, nullatenus perlegi permittet? Considerate, quæso, quid agitis, in quæ discimina, illi qui vobis a Consilijs sunt, tum vestram* Sanctitatem, *tum totam* Christi *Ecclesiam vestro regimini commissam ex tam indebito authoritatem vestram exaltandi modo conijcere student, ex quo non leue æternæ salutis periculum tum vobis ipsis, tum cæteris Christi fidelibus creari, Romanæ Ecclesiæ, Sedisq; Apostolicæ authoritatem labefactari, & Censuras Ecclesiasticas contemptibiles reddi necesse est.*

54 *Aliud præterea consideratione dignissimum vestræ prudentiæ proponendum esse duxi, nempè ius*

ius istud, seu potestatem Principes deponendi, quam Romani Pontifices *sibi a* Christi *concessam esse prætendunt, quamdiu in controuersia est, esse purum titulum sine re, neque vnquam executioni absq;* læsa Maiestate Regia *mandari posse, cum iuxta approbata iuris humani, ac naturæ principia notum sit, neminem e possessione illius rei, quam legitimè possidet, quamdiu lis sub Iudice existit, excludendum esse. Nam semper* in causa dubia, *siue controuersa* melior, & potior est conditio possidentis.[v] *Et propterea lite hac de iure, seu potestate Principes deponendi inter ipsos, et Summos Pontifices pendente, non possunt e Regnis suis, quæ legitimè possident absq; apertissima iniuria exturbari.*

v De regulis iuris in 6. regula, *in pari*, & F. de regulis Iuris, *in pari causa.*

55 *Neq; valet, quod Card.* Bellarminus *in suo* Schulckenio *respondet,*[x] *nempè* illã regulam Iuris pro Põtifice facere, qui est in possessione a multis annorũ cẽturijs Principes seculi præsertim in causa fidei

x Pag. 614.

fidei, iudicandi & deponēdi. *Nam ad hoc vt aliquis ius, seu potestatem in alterum acquirere, aut poßidere dicatur, oportet iuxta notam Theologorum, ac iurisprudentium doctrinam, vt illo altero sciente, et non contradicente ius, seu potestatem in illū exerceat, (alioquin si* Princeps *aliquis Christianus iurisdictionem spiritualem in Clericos habere praetenderet, et hanc, eis reclamantibus, in eos exerceret, spiritualem illam iurisdictionem ex tali facto acquirere, et posideri dici poßet) at Principes Seculi huic iuri, seu potestati, quam* Sūmus Pontifex *super eos habere praetendit, semper contra-dixiße, et tum scriptis, tum factis in faciem restitiße,* Romanos Pontifices *cum non exiguo animi maerore, et graui nonnunquam corporis, ac fortunarum discrimine expertos esse nimis manifestum est: Et propterea tametsi* Sūmi Pontifices *a multis annorum centuriis, nempè a* Gregorij *Papae septimi temporibus, hoc ius, seu potestatem*

testatem Principes *deponendi sibi arrogauerint, Attamen vel exiguo quidem temporis momento eos hoc ius, seu potestatem possedisse, cum Principes semper reclamasse notum sit, dici profectò non potest.*

56 Deinde, Principes *Seculi non solùm a multis annorum, non dico cẽtẽarijs, sed millenarijs, sunt in possessione sui iuris, ac Regiæ prærogatiuæ, non posse nimirum inuitos suis regnis priuari, aut ab aliquo in temporalibus iudicari, & pœnis temporalibus coercitiuè castigari (cum, si delinquant, soli* Deo *peccent, hoc est, a solo* Deo, *vt Patres antiqui* [y] *voce consona pronunciant, a quo secundi sunt, eoque solo minores, pœnis temporalibus coercerci possint) sed etiã in legitima semper suorum Regnorum, quæ propriè possideri dicuntur, & de quibus potissimùm regula illa iuris intelligenda est, possessione fuerunt: atque ex hac parte regula illa* Regibus *tantummodò fauet, neque* Summo Põtifici *vllatenùs suffragatur* Pręterea

y Vide infra in *Appendicę* § 17. num. 14.

quid Card. Bellarminus *per illa verba*, in causa præsertim fidei, *intelligat, dubiũ est, nisi omnes causas ad fidei causã detorquere velit, cũ satis cõstet, paucissimos* Reges, *nempè* Henricũ 8. *et* Elizabetham *Principes nostros, ob causã fidei, nisi valdè impropriè loqui velimus, per sententiã* Sũmi Pontificis *totis viribus repugnantes, depositos fuisse.*

57 *Atq; hinc apparet, verissimũ esse quod aliàs* [z] *obseruaui, nẽpè, quicũq; ille est, siue Papa, siue* Princeps, *siue alius quicunq; extraneus, qui Principẽ etiã hæreticũ e Regni sui possessione eijcere contenderet, lite hac de Principũ depositione sub Iudice existente, apertissimã cõtra iustitiæ regulas iniuriã illi irrogaret. Atq; a fortiori, nõ potest a manifesta perduellione excusari subditus, quãcunq; opinionẽ circa potestatẽ Põtificis tẽporalẽ* speculatiuè *tueatur, qui* practicè, *sub prætextu forsan deuotionis erga* Sedẽ Apostolicã, *nõ æquè etiã perpendens debitũ suæ seruitutis erga* Maiestatẽ Regiam

z In Apologia num. 471. & infrà in *Apendice* § 19. num. 9.

giã *obsequium*, Principem *suum legitimũ, non obstante quacunq; excommunicatione, aut depriuatione Papali e Regni sui possessione expellere niteretur.*

58 *Atq; ex his omnibus satis perspicuũ est, quàm manifesta eorum censorum calumnia sit, qui affirmare non dubitant, eos Catholicos, qui vestram potestatem Principes deponendi in controuersiam vocant, nõ esse deuotos Ecclesiæ Catholicæ, Sedisq; Apostolicæ filios iudicandos, neque eam, ea, qua par est, reuerentia suspicere, atq; venerari, cum potiùs ob deuotionem erga Ecclesiam Catholicam*, Sedẽque Apostolicam *talem potestatem in disceptationem vocent, ne dogmata non Catholica pro Catholicis, in maximum Ecclesiæ Catholicæ scandalum, fideli populo obtrudantur, et ne* Sedes Apostolica *ex hac doctrina, quæ nisi vera, et Catholica sit*, Regiæ Maiestati *plurimũ derogat, Christianis Principibus tẽporis progressu contemptibilis fiat. Neq; enim* Sedi Apostolicę

maiorem auctoritatẽ tribuere, quàm Christus Dominus *illi concessit, deuotio, aut reuerentia erga* Sedẽ Apostolicam *censenda est; neq; ille, qui aut plùs aut minùs* Sedi Apostolicę *re quidem vera per ignorantiam tribuit, quàm* Christus *illi communicauit (dummodo zelo et desiderio totum illud* Sedi Apostolicæ *tribuendi, quod* Christus *illi tribuit, flagrauerit, et si fortasse eum errare cõtigerit, corrigi, ac emendari paratus fuerit) vel minimâ quidem erga* Sedẽ Apostolicam *irreuentiâ notari debet.*

59 *Quis enim Catholicus S.* Bernardũ, Sanctumq; Thomam, *quos erga* B. Virginẽ *deuotissimos esse omnes norunt, vel minimæ erga illam irreuerentiæ accusare audet, quòd eam in peccato originali conceptam fuisse asserere non pertimescant? Quis item Catholicus (paucis quibusdam* Canonistis *sacrarũ literarum ignaris,* a *quiq; propterea ingenti temeritate ab alijs Catholicis notantur) Card.* Bellarminũ, *cæterosq; Theologos in diui-*

nis

a *Sotus* in 4. dist. 18. q. 1. ar. 1. & *Victoria* Relect. 1. de potest. Eccles. sec. 6. in fine propos. 2.

nis ſcripturis, Sanctiſq; Patribus exercitatiſſimos, qui directā Sedis Apoſtolicæ *in tēporalib⁹ Monarchiā totis viribus impugnant, tāquā parū deuotos Eccleſiæ Catholicæ,* Sediſq; Apoſtolicę *filios increpare audet?*

60 *Recordetur, obſecro*, Sanctitas Veſtra *ſingularem illam Prædeceſſoris veſtri fæl.mem.* Clementis *Papæ octaui diligentiam, qui in nupera illa controuerſia,* de auxilijs diuinę gratiæ, *inter Patres* Dominicanos, *et* Ieſuitas *exorta, (quæque tametſi ignoretur, nō magnum aut Principibus, aut populo fideli, vel temporalis, vel ſempiternæ ſalutis detrimentum affert) examinanda tot annos etiam cū maximo corporeæ ſuæ ſalutis diſpēdio inſumpſit, quique neque horum, aut illorum informationibus, cum partes eſſent, fidem adhibere, ſed rem totam, et omnia, quæ vtrinque obijci poſſent argumenta, ipſemet proprijs auribus audire, et vtriuſque partis obiectiones coràm examinare voluit. Res ſanè Patre, Paſtore, Iudice, atq; æquo rerū*

 ſpiri-

spiritualium æstimatore dignissima.

61 *Quis igitur vllatenus dubitare potest, quin* Sanctitas *vestra tam recẽs, tamq; laudandũ* Prædecessoris *vestri exemplum recolens ad hãc controuersiam grauissimam, quæ, de Regibus, auctoritate vestra deponendis, inter* Summos Pontifices, Principesq; supremos, *& præsertim* Regẽ *nostrum* Serenissimum *iam existit, quæque ad debitam* Deo, *&* Cæsari *obedientiam iure diuino exhibendam spectat, & cuius ignoratio tum corpora, tum animas tot mille millium* Christi *fidelium in apertum discrimẽ adducit) examinandam aliquas saltem horas e serijs vestris occupationibus eripere, neque vnius tantùm partis informationibus fidem adhibere, sed quæ vtrinque obijci possunt, non ex aliorum relationibus, sed ex propria vestra scientia vtriusque partis libros legens, atque expendens examinare omnino velit?*

62 *Meminerit etiam, quæso,* Sanctitas vestra, *nequaquam se apud*

apud supremum omnium Iudicem Christum *in extremo iudicij die excusatam fore, quòd* Prædecessorum *suorum* Summorum Pontificum *vestigijs inhærens eorum facta, atque doctrinam circa hanc* Summi Pontificis *potestatem Principes deponendi iam apud Catholicos controuersam (quam, nisi vera sit, & supremorum Principum iuribus derogare, & subditorum conscientiis laqueum inijcere nimis manifestũ est) totis viribus propugnauerit, nisi etiã quo iure, et non tantùm quo zelo, cum zelus sæpenumero non secundùm sciẽtiam sit, talem doctrinam in orbem Christianum, præter morem maiorum, atq; antiquorum Patrum, et Ecclesiæ primitiuæ praxim inuexêre, diligenter examinauerit. Nam si* Sanctitas *vestra* Aluari Pelagij *acerrimi alioquin directæ* Summi Pontificis *in temporalibus Monarchiæ propugnatoris* Planctum Ecclesię [b] *perlegere dignata fuerit, clarissimè perspiciet,* Romanos

[b] Lib. 2. de Planctu Ecclesiæ ar. 5. in fine.

Pontifices *quorundam* Prædecesso-rũ *suorum facta, atq; exẽpla per multa simul secula imitatos esse, quos non propterea laudandos, sed magis deplorandos esse nemo ignorare potest.*

63 *Quem* Aluarij planctum *si* Sãctitas vestra *euoluere voluerit, ibi inueniet*, hoc neq; latere, neq; latere oportere Dominum nostrũ Papã, quia in toto mũdo nõ est homo in tanto periculo, quanto ipse, quia de vita & doctrina, de solicitudine & labore habet respondere de toto mundo illi *Christo*, cuius ipse est vniuersalis Vicarius super terram. *Et* cum post multos annorum centenarios ab Apostolorum, cæterorumque Ecclesiæ primitiuæ Pontificum temporibus vsque ad hæc tempora infælica multi fuerint *Romani Pontifices* sanctam *Dei* Ecclesiam numero, & merito fidelium ampliantes, & Ecclesiam triumphantem ciuibus eorum imitatoribus reparantes.

64 Surrexisse, iam sunt multa tem-

tempora, eorum Succeſſores auctoritate, ſed diſſimiles a ſanctitate, *Romano Pontificatui* ſe ingerentes, procurantes, vtinam ante promotionẽ nõ paciſentes, et conuenientes, & promittentes; Aurũ abſque menſura cumulantes; Parẽtes ditãtes, & exaltantes, & cõſanquineos promouentes; In delicijs viuentes; Amicos dignificantes, plurimûmque alios conculcantes; Bona eccleſiarum diſſipantes; Indignos promoueutes; In mũdi potẽtia gloriantes; Tẽporaliũ dominorũ aliquoties terminos inuadẽtes; De ſalute animarum parum curantes. Et quid plura? Quæ carnis ſunt ſapientes. *Et tandem in hunc planctum prorumpit.* Vide Domine, & conſidera, quia ſpõſa tua (*Eccleſia*) nimis humiliata eſt; Eius in gentib' potẽtia dimnuita eſt; Eius miſericordia quaſi extincta eſt. Ad cuius cõfugiemus auxiliũ? Manda, remanda, Mitte quẽ miſſurus es, obſecro, ſanctũ Vicariũ tuum aliquẽ Eccle-

ſiam

siam conformare. Et hæc de Vicarijs *Christi* satis, cum eorum venia. *Hæc ad verbum* Aluarus *ante annos ferme trecentos.*

65 *An iam* Sanctitas *vestra, si istorum* Pontificum *exempla imitaretur, aut* Bonifacij *Papæ Octaui Prædecessoris vestri* Regem Franciæ *sibi in temporalibus, & spiritualibus subiectum esse declarantis, et contrarium sentientes hæreticos reputantis, doctrinam, quæ tot tumultus in Italia excitauit, tanto impetu propugnaret, se ab omnimoda culpa liberam esse existimaret? Nolite errare,* Beatissime Pater, Deus non irridetur. *Veniet dies, quando exactissimam coram supremo illo Iudice, qui personarum acceptor non est, de omnibus dictis, factis, et cogitatis vestris, atque de cunctis oppressionibus, quæ vel in curia vestra, vel sinistris eorum, qui vobis à Consilijs sunt, informationibus viris innocentibus acciderunt, rationem reddituri estis.*

66 Deniq;, *vt iam tandem huic*

meæ

meæ Supplicationi *finem imponam, tria ſunt potiſſimùm, quæ in ea à veſtra* Sanctitate, *vtpote communi omniũ Catholicorum* Patre, Paſtore, *ac* Iudice *ſpirituali ſupplex peto.*

Primum, *vt quoniam* Sanctitas *veſtra ſuis* Breuibus *Apoſtolicis iamdudum declarauit, multa in Iuramento fidelitatis contineri*, fidei ac ſaluti apertè aduerſantia, *quæ tamen nobis Anglis Catholicis non adhuc ſatis innoteſcunt, nobis iam tandem quæ nam ſint illa multa, vel vnum ſaltem è multis, quæ fidei, aut ſaluti ita aduerſari conſtat, notum facere, pro munere veſtro Paſtorali dignetur, vt ita & conſcientijs noſtris,* & Regiæ Maieſtati, *& veſtræ etiam* Sanctitati, *quantum in nobis eſt, ſatiſfacere poſſimus.*

67 Secundũ: *vt quoniam* Sacra *Illuſtriſſimorum* Cardinaliũ Congregatio *nupero decreto*, ex mãdato, *vt aiunt*, veſtræ Sanctitatis *facto, meã* pro Iure Principũ Apologiã, *&* Diſputationẽ Theologicam de

Iura-

Iuramento fidelitatis *prohibuit, & in Indice librorum prohibitorum reponendas esse declarauit, atque etiam*, nisi me quamplurimũ purgauerim, *me* Censuris, alijsque pœnis Ecclesiasticis omnino coercendum esse *denunciauit, nec tamen aliquod crimen, vel speciatim, vel generatim, a quo me purgare deberem, mihi indicauit (res quidem quo magis insolita, eo maiori admiratione, ac obseruatione digna)* Sanctitas *vestra pro debita etiam vestra cura Pastorali, quænam sint illa dogmata, ob quæ libri mei prohibiti sunt, vt ea aut retractare, aut ab ijs me purgare valeam, vel mihi significare, vel saltem sententiam illam ex mala informatione, maloue verborum meorum intellectu aduersùs me, meosq́; libros latam reuocare, meamq́; famam inde grauiter læsam in integrum restituere velit: Alioquin verendum est, ne supremus omnium Iudex de iniusta hac mea oppressione vestra authoritate, vestroq́;, vt aiunt, mandato facta rationem*

rationem a vobis aliquando exposcat.

68 Tertium: *vt quoniam prædictum* Sacrę Congregationis *decretum ex sinistra quorundam, præsertim Card.* Bellarmini (*qui in libro suo, vt fama publica est, sub* Adolphi Sculckenij *nomine euulgato, plurima dogmata ex mea* pro iure Principum Apologia *collegit*, quæ me, *vt ait ipse*, [c] hęreses accusant, & omnino reum peragunt) *informatione, & importuna eiusdem sollicitatione factum esse vix vlla apud viros prudentes dubitatio esse potest*, Sanctitas vestra *sequentem* Appendicem, *in qua vniuersa illa dogmata sincerè expenduntur, & meras esse calumnias, atque eiusdem* Schulckenij *imposturas manifestè conuincitur, seriò perlegere, ac diligenter examinare velit, vt ita non ex aliorum, qui vestra* Sanctitate, iustitia, *ac* caritate *abutuntur, relationibus, sed ex vestra propria scientia grauissimam hanc controuersiam expendere, & quod rectum, ac iustum est, iudicare possitis.* c Pag. 2.

Neque

Neque enim iam, Beatissime Pater, *informationibus aliorum, quique præsertim in hac causa partes sunt, fidem adhibere, cum tam iustæ, tamq; rationabiles causæ dubitandi, se malè in hac controuersia informatam esse*, vestræ Sanctitati *non occurrere non possint, legitima apud cœlestem Iudicem excusatio erit, neque vestrã* Beatitudinem *inculpatam reddet, nisi* Sanctitas *vestra, an res verè ita se habeat, prout informatores illi vestræ* Beatitudini *referunt, diligenter etiam inquirat.*

69 *Quòd si* Sanctitas *vestra huic meæ* Supplicationi, *in qua nihil, quàm quod iustissimum est, postulo, aures patefacere noluerit, sed adhuc, vti non spero, aut Card.* Bellarmini *mihi in hac causa Aduersarij, aut eorum, qui illi fauent, informationibus fidem adhibere, neque dogmata illa, ob quæ libri mei prohibentur, mihi, vt ea vel retractare, vel ab ijs me purgare possim, indicare, neque illam* Sacræ Congregationis *sententiam aduer-*

sus

sus meos libros ex mala informatione latam reuocare, neque famæ meæ inde grauiter læsæ recuperandæ prospicere voluerit, sed me pro innocentia mea defendenda, pro veritate in hac quæstione grauissima inuestiganda, et pro vestra Sanctitate *malè de me informata omni reuerentia debita meliùs informanda conscribentem, per effrænata quorundam, præsertim* Iesuitarum, *ora, qui famam meam quotidiè lacerant, nouasque calumnias mihi indies imponunt, tanquàm* hæreticum, Apostatam, *atque Ecclesiæ Catholicæ, Sedisque Apostolicæ* hostem *traduci impunè permiserit, hæc assidua mea consolatio, hæc frequens meditatio, hoc potißimum, præter diuini numinis implorationem, oppressionis meæ leuamentum erit, consolantia illa* Christi Domini [d] *verba dies, noctesque recolere,* Beati estis, cum maledixerint vobis, & persequuti vos fuerint, et dix-

dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me,* gaudete,& exultate,quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis.

Deus Opt.Max. *supremus omnium Iudex,cœlesti sua gratia,vestræ* Beatitudinis *mentem ita illuminet, gubernet, ac regat, vt quod iustum est,iudicet, atque vt sic transeat per bona temporalia , vt non amittat æterna.*

E Musæolo, *Calendis Ianuarij.* Anno *Domini* 1616.

* Qui enim pro testimonio veritatis, aut iustitiæ persecutioné patitur,pro *Christo*,qui est veritas,& iustitia,patitur. Nam *quicunq; pro veritate testimonium dederit, & omnes causas cum iustitia iudicauerit,quicquid pro testimonio veritatis,vel iustitiæ pertulerit, totum ei Dominus pro martirio computabit.* Augustinus serm. 232. de tempore.

APPENDIX
ad *Supplicationem* praecedentem.

In quo

Plurimæ calumniæ cum insigni fraude, & maledicentia coniunctæ, quas *Adolphus Schulckenius* Doctor Theologus *Rogero Widdringtono* ad eum *hæreseos* accusandum falsò, summamque per iniuriam imposuit, clarè ac perspicuè deteguntur.


ET

Idem Schulckenius *in manifestæ calumniæ indicium à* Widdringtono *adducitur.*

ISA. 5.

Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes in tenebras lucem, & lucem in tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

Excusum anno Salutis, 1616.



APPENDIX ad Supplicationem præcedentem.



VT *Sanctitas* veſtra clariſſimè perſpiciat, quàm turpiter, & inverecundè *Doctor* iſte, quem Illuſtriſſimum Cardinalem *Bellarminum* eſſe, multi, illi etiam amiciſſimi, cum glorioſa quadam oſtentatione ſatis inconſideratè prædicare non verentur, tum mea innocentia, tum veſtra *Beatitudine*, tum vniuerſo etiam orbe Chriſtiano in tam graui, ac periculoſa controuerſia abuti auſus fuerit, & quàm falſas, & manifeſtas calumnias, vt me & veſtræ *Sanctitati*, & *Principibus* Chriſtianis

odiosum reddat, atque apud fideles subditos fidem mihi detrahat, imponere non erubuerit, non abs re esse censeo, illius fraudes,& imposturas in fine huius meæ *Supplicationis*,& vestræ *Beatitudini*, & toti mundo patefacere, vt *Sanctitas* vestra istiusmodi hominum dolos,ac imposturas tandem deprehendens, illorum sinceritati posthâc non nimium confidat,sed eorum informationes diligentiùs examinet, neque eorum assertionibus, quæ præsertim ad viros Catholicos, sub specioso potestatis Pontificiæ propugnãdæ, & Religionis Catholicæ promouendæ prætextu, dedecorandos tendunt, maiorem, quàm par est, fidem deinceps adhibeat: atque insuper, vt omnes videant,vtrùm *Angli Catholici* in dictis talium hominum, qui,vt *Aduersarium, hæreseωs accusent,& omnino reum peragant*, eius sententias de instituto deprauant, conscientias suas,& bona omnia temporalia non tantùm sua, sed totius etiam posteritatis, tutò reponere queant.

§. 1.

Calumnia prima *Adolphi Schulckenij* detegitur.

§. I.

1. *INprimis* igitur, vt ab illis istius hominis imposturis, quas alibi [a] annotaui, initium sumam, *Doctor* iste, vt me Principibus Christianis odiosum reddat, in *Epistola* sua *Dedicatoria* non longe à fine, quod etiam versus finem sui libri [b] denuo repetit, hæc verba habet.

a *in Disputat. Theolog. Admonit. ad Lect. num. 3. & seq.*

b *Pag. 563.*

Alterum est, quod idem Aduersarius noster, Widdringtonus, *qui pro suo commodo plenis faucibus vociferatur*, Principum potestatem diuinam esse, ab ipso Deo per legem naturæ sanctissimè ordinatam, subditos iure diuino debere Principibus obedientiã; *Idem, inquam, quando ita vsui videtur, clamat, subditos habere potestatem sibi insitam, & ex iure tum diuino, tum naturali debitam, quam nunquam possunt amittere, aut à se transferre, supra Reges, eos iudicãdi, deponendi, alios eligendi,*

Regna transferendi, modum regiminis immutandi. Ita Widdringtonus *num.* 439. & 460. Hæc *Doctor* iste.

2. Sed miror ſanè, quòd *Doctor* iſte tam manifeſtam calumniam mihi imponere non erubuerit. Nuſquam enim ego aſſerui, *Subditos habere potestatem ſupra Reges, aut poteſtatem habere eos iudicandi, deponendi, alios eligendi* &c. Hoc ſolum eo loco [c] affirmaui, quotieſcunq; Imperatores imperium pro derelicto habent, neque illud protegere curant, ſed Regnum ab hoſtibus diripiendum relinquunt, atque adeo ſupra populum ampliùs regnare, eorumque Imperatores, & Protectores vlteriùs eſſe nolunt (vt ex ſententia *Lupoldi Babengergij*, & *Michaelis Coccinij* contigit, quando Summus Pontifex, populuſque Romanus Imperium tranſtulerunt ad Francos) *in tali caſu Pontificem, Senatum, populumq; Romanum ex tacito ſaltem aliorum omnium Occidentalium, qui Imperio ſubiecti ſunt, conſenſu, plenum ius, ac poteſtatem (quam per nullam conſuetudinem, aut Sedis Imperij tranſlationem, vtpote ſibi congenitam, &*

c *Num.* 437. & *ſeq.*

ex

ex iure naturæ debitam, amittere poterant) etiam iuxta doctrinam Card. Bellarmini *iam*[d] *traditam, habere nouum Imperatorem sibi constituendi, & consequenter Imperium, quod Græci Imperatores in partibus Occidentalibus solo nomine tenebant,* ad Carolum Magnum, *eiusq; Successores, aut ad alium quemcunque, Imperij Sede in illis partibus tunc quasi vacante, transferendi.*

[d] Num. 432. & seq.

3. Ex quibus constat, me hoc solùm ibidem asseruisse, ipsam Rempublicam, *in casu*, quo nullum supra se *Principem* habet, cum iam ipsa suprema sit, & non subdita, (& non populum subiectum, aut subditos, vt *Doctor* iste fingit,) posse *Regem*, non dico *iudicare*, aut *deponere*, vt ipse comminiscitur, cum Respublica in eo casu *Regem* non habeat, sed *Regem* sibi constituere, aut modum regiminis immutare, quod sanè verissimum est, neque vllam planè rimulam seditionibus, conspirationibus, rebellionibus, aut defectionibus aperire satis manifestum est, vt ibidem ex principijs ipsiusmet Card. *Bellarmini* clarissimè comprobaui.

§. 2.

1 SEcundò, *Doctor* iſte verſus finem ſui libri [a] aliud longè periculoſius mihi falsè affingit, illudque oratione magis virulenta exaggerat. Cum enim ego ad exemplum *Athaliæ* iuſſu *Ioiadæ* Pontificis occiſæ, quod Card. *Bellarminus* ad poteſtatem Principes auctoritate Pontificia deponendi comprobandam attulerat (ex quo etiam exemplo poſſe Principes auctoritate Pontificia trucidari pari cum facilitate probare poſſet) reſpondens, ſcripſeram, *Ioiadam Pontificem occidendo Athaliam nihil aliud effeciſſe, quàm quod fidelem quemque ſubditum in tali caſu præſtare oportuerat* (quod ea de cauſa aſſerui, vt ibidem [b] explicaui, quoniam *Ioiada* Pontifex, non propria auctoritate, ſed Regis, & Reipublicæ nomine præcepit, vt *Athalia* vſurpatrix, quæq; tunc aduerſus verum, & legitimum Regem, quique à tota Republica vt talis agnitus, & acceptatus erat, coniurationem ciere moliebatur, clamans, vt Scriptura refert,

a *Ad num.* 367. *Pag.* 561.

b *Num.* 368.

refert, [c] *Insidie, Insidiæ; Coniuratio, Coniuratio*) *Doctor* iste ita verba mea traducit, ac si ego affirmassem, quemlibet fidelem subditum, si solùm *reputet*, aliquem malo titulo inuasisse Principatum, *posse, nec posse modò, sed & omnino debere talem Principem* interficere, atq; insuper addit, me *temerariæ populorum leuitati Reges subijcere*: & tandem ita exclamat;

c 4.Reg.11.& 2.Paralip. 23.

Ecce Reges, & Principes, habetis, qui vestræ studeat securitati. Ita obseruantes sunt Maiestatis Regiæ, violatores, & calumniatores potestatis Pontificiæ. Quilibet subditus *inquit* Widdringtonus, non modo potest, sed & debet in tali casu facere, quod Ioiada fecit. *O miseram Principum conditionem, quorum Regnum, & vita singulorum priuatorum iudicio obnoxia? Quod si Card.* Bellarminus *tale quid scripsisset, quas non Aduersarius* Widdringtonus *cieret turbas, quos non excitaret clamores?*

2. Sed vbi est conscientia istius *Doctoris?* vbi candor? vbi sinceritas? Quid mentem eius adeo occæcauit, vt tam apertam calumniam mihi imponere non pudefieret? An *Ioiada*

solúm *reputauit*, & non *certò* etiam *cognouit*, *Athaliã* malo titulo inuasisse regnum? An non etiam *certò cognouit*, *Ioas* puerum septennem, verum Regni hæredem, quem ipse ab internecione liberauerat, superstitem in domo Domini apud se manere? An non priusquam *Ioas* in Regni possessionem miserat, & *Athaliam* trucidari fecerat, inijt fœdus cum Centurionibus, *qui circumeuntes*, vt ait Scriptura, [d] Iudam, *congregauerant Leuitas de cunctis vrbibus* Iuda, *& Principes familiarum* Israel, *veneruntq́; in* Ierusalem, *inijtque omnis multitudo pactum in Domo Dei cum Rege*, vt nimirum *Ioas* Regem legitimum à Regni possessione iniustè detentum in possessionem mitterent, & *Athaliam* vsurpatricem, si præsertim coniurationem in Regem faceret, Regis nomine, & authoritate deleri curarent. *Ioiada* enim non sua, sed Regis authoritate, & nomine *Athaliam* trucidari præcepit. *Ioiada*, inquit *Abulensis*, [e] *gerebat vices Regis, licebat Regi iubere occidi* Athaliam, *qua vsurpauerat Regnum: Ideo etiam liceret* Ioiadæ,

qui

d 4. Reg 11. & 2. Paralip. 23.

e In 4. Reg. cap. 11. q. 20.

qui gerebat vices eius in omnibus.

3. Dicat nunc, obſecro, *Doctor* iſte, an non quilibet fidelis ſubditus *in tali caſu*, id eſt, non priuata, vt ipſe fingit, ſed publica veri *Regis*, & qui vt talis, non ſolum *reputatus*, vt ipſe comminiſcitur, ſed *certò cognitus* eſt, auctoritate, conſentiente etiam Republica, non *reputatam* tantùm, ſed *notam* etiam *vſurpatricem*, & quæ coniurationem aduerſùs verum *Regẽ* machinatur, interficere licite poſſit, & debeat? Neque hæc doctrina rebellionibus, & conſpirationibus viam aperit, aut *Principum* vitam priuatorum iudicio obnoxiam relinquit.

4. Veruntamen *Doctor* iſte hoc eodem in loco latiſſimam ſeditionibus, & defectionibus viam patefacit, dum ſatis incautè affirmat, conſenſum populi ſatis eſſe, ad legitimum regnandi ius alteri, quàm hæredi legitimo, quique in nulla planè re deliquerit, conferendum. *Athalia*, inquit, [f] *ſine dubio tyrannicè regnum inuaſit, ſed cum ſex annis pacificè imperauerit, credibile eſt, paulatim aſſentiente populo legitimum ius in Regnum acquiſiuiſſe.* Et

[f] Pag. 558.

Et nihilominus *Doctorem* istum latere non poterat, *Ioas*, verum, & legitimũ iure hæreditario *Regem*, saluum, & incolumem in domo Domini tunc temporis permansisse. Atque hæc seditiosa eius doctrina, forsan vna inter cæteras causa erat, quòd liber eius *Lutetiæ* publice combustus fuerit.

5. Et propterea prudenter *Becanus*, qui in *Controuersia Anglicana* primùm à se edita, & publico Sacræ Congregationis decreto condemnata, donec expurgata esset, hanc eandẽ doctrinam tradidit, Pag. 120. in posteriori Editione a se recognita, aucta, atque in hoc etiam expurgata (tametsi nonnullis alijs, [g] quæ vel adiunxit, vel expunxit, magis conspurcata fuerit) errorem suum recognoscens sententiam illam expungendam curauit.

g *Nam cum antea pag.* 102. *scripsisset*, sibi certum esse, Regem nostrũ Serenissimum IACOBVM esse legitimum Regem Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, & in ijsdem Regnis supremum Dominum in temporalibus, *in noua Editione, illud vocabulum*, supremum, *& quod deterius est*, legitimum, *expunxit, & Regem Angliæ Summi Pontificis feudatarium esse, ob rationes debilissimas affirmare non dubitauit. Vide Disputat. Theologicam in Admonit. ad Lectorem num. 9. & seq.*

§. 3.

1. TErtiò, Doctor iste, vt me quoq; tanquam apertè hæretica docentem apud vestram *Sanctitatem* traducat, vestramque indignationem in me concitet, affirmare non dubitat, me omnem omnino Summi *Pontificis*, quà *Pontifex* est, in temporalibus potestatem, etiam *Principibus* Secularibus in rebus temporalibus in ordine ad bonum spirituale imperandi, denegare. Ita enim in capite sexto suæ *Apologiæ* pag. 256. & 258. scribit.

Secunda Conclusio; Hæreticum est dicere, Pontificem, vt talem, & ex iure diuino non habere vllam potestatem in temporalibus. Hæc est contra Aduersarium Widdringtonum, *Lutheranos, Caluinistas.*

Tertia conclusio: Hæreticum est, Pontificem, vt Pontificem, & ex iure diuino non habere vllam potestatem imperandi Principibus Secularibus in rebus temporalibus saltem in ordine ad bonum spirituale. Hæc est contra Aduersarium Widdring-

Widdringtonum, *Lutheranos*, *Caluiniſtas*.

2. Et nihilo minus ſcripta mea contrarium apertiſſimè clamant. Neque enim obiter, ſed de induſtria, neque ſemel, aut iterum, ſed ſæpiſſimè diſertis verbis doceo, repeto, atque inculco, penes Summum *Pontificem* eſſe poteſtatem in temporalibus, non quidem de illis diſponendi (vt diſponere ab imperare diſtinguitur) aut *Principes* Seculares ſuis Dominijs, Regiaue auctoritate per ſententiam priuandi, ſed *Principibus* Secularibus in ordine ad bonum ſpirituale imperandi.

Adeo vt mirum profectò ſit, quòd *Doctor* iſte, vt me apertè hæretica docere Lectori perſuadeat, tam falsò, & contra Chriſtianæ charitatis, atque iuſtitiæ leges aſſerere non erubeſcat, me illud negare, quod ijſdem planè verbis, non ſemel, aut iterum, ſed frequentiſſimè, idque de induſtria affirmo.

Atque hæ, quædam ſunt calumniæ ex plurimis, quas *Doctor* iſte ſparſim in ſuo libro mihi falsò impoſuit, quaſque

quę ego in *Disputatione* mea *Theologica* [h] annotaui; Nunc cæteras eius fraudes & calumnias, quas ipse in ipsomet libri sui exordio, de industria, vt Lectoris animum a me, meisque libris in totum auerteret, & præiudicatam de mea doctrina opinionem habere faciliùs persuaderet, in vnum quasi fasciculum congessit, eodem planè ordine, quo ab ipso positæ sunt, perspicuè detegemus.

h *In Admoni. ad Lectorem in initio.*

---

§. 4.

1. QVartò igitur *Doctor* iste libri mei *Inscriptionem* falsò criminatur, quæ hæc est:

Apologia Card. Bellarmini *pro iure Principum aduersus suas ipsius rationes pro auctoritate Papali &c. Auctore* Rogero Widdringtono *Catholico Anglo.*

Hæc Inscriptio, ait *Doctor* iste, *duo continet, titulum libri: nomen & titulum Auctoris. Titulus libri impudentissimus simul. & mendacissimus est, & Auctori*

a *Cap.1.pag.1.*

Auctori suomet repugnans. Auctor in Præfatione sic loquitur: Illustrissimum Card. *Bellarminum,* vt omni honore, & obseruantia dignissimum veneror, atque suspicio: *In Inscriptione idem Auctor tam leuem, & inconstantem eundem Illustrissimum Card.* Bellarminum *fingit, quasi aduersus suamet ipsius scripta apertè pugnet, & ex professo palinodiam canat.*

2. *Certe Apologiam aduersus proprias rationes, nisi aut mentis inops, aut ebrius nemo scribit. Quod si ita ludere venerari est, & suspicere, veneratur* Bellarminum, *& suspicit* Rogerus: *sin autem ita ludere illudere est, vt reuera est, miror vtrumq́;, & quòd eò Auctor processerit temeritatis, ac impudentiæ, in animū vt induxerit suum, viro sanctitate, eruditione, dignitate illustrissimo, quem omnes verè Catholici multis nominibus meritò venerantur, & suspiciunt, affecta iam præsertim ætate, ita pueriliter, ne dicam scurriliter illudere: & si vllus vir cordatus tam ludricam Inscriptionem sine stomacho possit legere.*

3. Grandia quidem hæc verba sunt, & é stomacho bili repleto profecta;

fecta; Sed si *Doctor* iste iram, quæ mentis aciem obtundit, è corde suo depulisset, facilè profectò perspicere potuisset, *Inscriptionem* hanc, neque impudentem, neque mendacem, neque mihimet vllo modo repugnantem esse, *Titulus* enim hic, atque *Inscriptio* fini, scopo, & materiæ ipsius libri consentiens est, & propterea non magis impudens, aut mendax censendus est, quàm liber ipse, neque magis, quàm liber ipse cuiquam displicere potest. Hoc enim in mea *pro iure Principum Apologia* institutum mihi erat, vt rationes, & argumenta Card. *Bellarmini*, quibus probare contendit, non tam *sententiam*, quàm *hæresim* esse affirmare, penes Summum *Pontificem* non esse potestatem Principes deponendi, ex eius principijs confutarem, atque ad *rem fidei demonstrandam* minimè sufficientia esse, ex ipsius doctrina sparsim tradita commonstrarem; quod vtrùm verè præstiterim an non, atque in ijs confutandis mendax fuerim, æquis rerum æstimatoribus iudicandum relinquo.

4. Et quid aliud, obsecro, est ra-

tiones Card. *Bellarmini* ex ſuis ipſiuſmet principijs confutare, quàm *Apologiam* Card. *Bellarmini* contra ſuas ipſius rationes conficere? quem titulum, vtpote ſcopo, & argumento libri accommodatum, idcirco appoſui, vt viri eruditi ipſum librum, quem cunctis fidelibus, *Pontificibus*, *Regibus*, ac *Subditis* pernéceſſarium eſſe iudicaui, & auidiùs perquirerent, & maiori cum attentione, ac diligentia eum perlegere, atque examinare vellent.

5. At *Apologiam aduerſùs proprias rationes, niſi aut mentis inops, aut ſobrius nemo ſcribit*, ait Doctor iſte. Fateor. Sed quod aliquis *Apologiam* alterius contra proprias eius rationes conficiat, hoc aut rationi, aut ſobrietati diſſentaneum eſſe, nemo niſi mentis inops, aut ebrius affirmare poteſt. *Apologiam Proteſtantium pro Eccleſia Romana* ſcripſit *Ioannes Brereleius*, hinc tamen nemo vir ſobrius concludet, *Proteſtantes* aut ebrios, aut mentis inopes eſſe. At ſi aliquis *Proteſtantium* Apologiam pro Eccleſia Romana, quamdiu ipſe eam impugnat,

pugnat,

pugnat conſcripſiſſet, certè aut mentis inops, aut ebrius merito cenſendus eſſet: Et ſimiliter ſi Card. *Bellarminus Apologiam* pro iure Principum aduersùs ſuas rationes confeciſſet, quãdiu hanc Principum poteſtatem, ſeu Ius ita acriter impugnat, procul dubio aut mentis inopem, aut ebrium eum eſſe omnes merito exiſtimarent. Veruntamen ego duntaxat aſſerui, non ipſum *Bellarminum*, ſed me Apologiam Card. *Bellarmini* contra ſuas ipſius rationes conſcripſiſſe, atque rationes, & argumenta ipſius ex proprijs eius principijs confutaſſe, quod ſanè veriſſimum eſſe, Lector eruditus qui Card. *Bellarmini* argumenta, meaſque Reſponſiones ex eius principijs petitas diligenter expendet, ſtatim perſpiciet, atque abſque vlla impudentia, aut ludicra ſcurrilitate a me dictum eſſe, illico animaduertet.

6. At *titulus iſte mihimetipſi repugnans eſt*, ait *Doctor* iſte: Aio enim, *me illuſtriſſimum* Bellarminum, *vt omni honore, & obſeruantia digniſſimum, venerari, atq; ſuſpicere: atqui in hac* Inſcriptione *tam leuem, & inconſtantem*

eundem illustrissimum Cardinalem Bellarminum *fingo, quasi aduersùs suamet ipsius scripta apertè pugnet, & ex professo palinodiam canat.*

7. Sed inprimis hæc nequaquam pugnantia sunt. Veneror enim Illustrissimum *Bellarminum*, eumque, vt omni honore, & obseruantia dignissimum, suspicio: Sed non in omnibus eius dictis, scriptis, atque actionibus eum veneror, neque propter omnia illa quæ dixit, scripsit aut egit, eum omni honore, & obseruantia dignissimum esse censeo. Fateor equidem, eum eruditione, atque dignitate illustrissimum esse, atque suis, de Controuersijs Christianæ fidei, Disputationibus, quas ex diuersis Scriptoribus collegit, atque in vnum quasi corpus miro ordine redegit, Rempublicam Christianam mirifice illustrasse, quibus nominibus eum venerandum, ac suspiciendum esse, & maximas illi gratias ab omnibus Catholicis habendas ingenuè profiteor. Sed cum in multiloquio non desit peccatum, & in multis libris conscribendis nonnulla saltem per inconsi-

derantiam

derantiam viris etiam eruditis obrepere possunt, quæ recognitione indigeant, quandoquidem *aliquando bonus dormitet Homerus*, nihil mirum, quòd Card. *Bellarmino*, cum homo sit, & humanæ inconsiderantiæ, ne dicam, ignorantiæ subiectus, sicut cæteri, in tam multis, àc magnis voluminibus conscribendis aliqua exciderint, quæ neque aliorum iudicio vera, neque sibi satis constantia sint, atque adeo vlteriorem etiam nunc recognitionem deposcant.

8. Nec propterea Card. *Bellarminum* leuem & inconstantem, sed humanæ fragilitati, & inconsiderantiæ, ne dicam ignorantiæ, subiectum esse affirmo, sicut neque S. *Augustinus*, leuis & inconstans censendus est, quòd cum iunior esset, quædam non ita consideratè scripserit, quæ postea in suis Retractationum libris de industria reuocauit. Quod autem Card. *Bellarminus* ex professo palinodiam cecinerit, & nonnulla, quæ iunior scripsit, iam senior de industria retractauerit, non quidem ex *titulo* meæ *Apologiæ*, sed ex ipsiusmet *Recognitio-*

nibus rectiſſimè concludi poteſt. Neque idcirco leuitati, aut inconſtantiæ hoc illi, ſicut neque S. *Auguſtino* vertendum eſſe cenſeo, dummodo ab antiqua ſua doctrina, quam olim matura cũ deliberatione approbauit, poſtea leuiter, & abſq; ſufficienti ratione, de quo in præſenti non diſputo (hoc enim non leuem in illo inconſtantiã argueret) nequaquam ex inſtituto receſſerit.

9. Denique, quòd Card, *Bellarminus* nonnunquàm aduersùs ſuamet ipſius ſcripta, apertè tametſi non de induſtria, ſed per incogitantiam aut expreſsè, aut tacitè pugnet, partim in mea *Apologia*, partim in confutatione *Thomæ Fitzherberti*, vbi quaſdam eius aſſertiones adinuicem repugnantes recenſui, ſæpiùs commonſtraui.

b *Part.* 2.

Vt exempli gratia, ne Lectori fucũ facere, atque iſtud illi gratis imponere videar, ait *Eccleſiam*, cuius caput eſt Summus Pontifex, *ex poteſtate temporali, & ſpirituali conflatam eſſe, & Reſpublicam politicam, & Eccleſiaſticã, vnam totalem Rempublicam, quæ eſt Eccleſia*, cuius caput eſt Summus Pontifex

c *Lib.* 5. *de. Rom. Pont. cap.* 7. *& in Tract. contra Barcl.* *cap.* 13. *& Doctor iſte pag.* 195. 199.

fex, *constituere.* Et nihilominus alibi [d] affirmat, *Summum Pontificem ex institutione Christi nullam habere propriè temporalem potestatem, neq; Ecclesiam ex temporali potestate, quæ formaliter temporalis est, sed ex sola spirituali potestate constitui.*

d *in Tract. contra Barcl. cap.* 12. *p.*137. *& Doctor iste pag.* 203.

Item ait, [e] *S.* Paulum *merito* Cæsarem *appellasse, eumq; Iudicem agnouisse, cum accusaretur seditionis, & tumultus in populo excitati:* Et nihilominus alibi [f] affirmat, *causam, ob quam S. Paulus ad Cæsarem appellauit, fuisse spiritualem, neq; ad Principem Ethnicum iure pertinere potuisse.*

e *Lib.* 2. *de Rom. Pont. cap* 29.

f *in Tract. contra Barcl. cap.*3. *pag.* 51.

Item ait [g], quod *illis verbis Euangelij,* Reges terræ à quo accipiunt tributum &c. *videatur omnino repugnare, Christum non liberasse nominatim, & expresse* Petrum, *& Apostolos ab obligatione, qua tenebantur Ethnicis Principibus: Et nihilominus* alibi [h] affirmat, *verissimum esse, non agi eo' loco de tributo, quod Cæsari soluebatur, sed quod imposuerat Deus omnibus filijs Israel* Exod. 30. *in vsum Templi.*

g *in Tract. eodem cap.*3. *pag.* 49.

h *Lib.*1. *de Clericis cap* .28

Item ait, [i] *improbabilem esse sententiam* Alberti Pighij *asserentis Apostolos* de

i *in Tract. contra Barcla. cap.*21. *p.*206.

de iure subiectos fuisse Cæsari, & nihilominus alibi [k] affirmat, eam à doctissimis Theologis etiam recentioribus, quam ipse per multos annos propugnauit, (quinimo communis iam omnium Theologorum etiam Iesuitarũ, sententia est,) * approbatam esse: dicunt enim *personas Ecclesiasticas à potestate Principum Secularium iure diuino exemptas non esse.*

k Lib 1. de Clericis cap. 28.

* Vide infra §. 10. num. 4

10. Ex quibus constat, *titulum* meæ *Apologiæ* ipsimet libro consentientem esse, neque mihimetipsi vllatenus repugnantem; Neque enim hæc adinuicem pugnant, quòd Card. *Bellarminum* eruditione, & dignitate illustrissimum, vt omni honore, ac obseruantia dignissimum venerer atq; suspiciam, & quòd non in omnibus, nec pro omnibus, quæ scripsit, tali honore eum dignum esse iudicem; sicut neque *S. Augustinus*, tametsi omni honore, ac obseruantia ab eo tempore, quo Baptismum suscepit, dignissimus fuerit, non tamen aut in omnibus, aut pro omnibus quæ ab eo tempore scripsit, tali honore, atque obseruantia eum dignum fuisse *Do-*

ctor iste affirmare poterit.

11. Postremò, quod attinet ad *Sanctitatem* Card. *Bellarmini*, qua *Doctor* iste eum illustrissimum esse affirmat, nihil ego in præsentia dicam, illud Deo, supremo omnium Iudici, qui solus secreta hominum corda nouit, iudicandum relinquens. Hoc vnum asserere non dubito, quod si ego tam falsas, ac manifestas calumnias cum tam insigni fraude, ac maledicentia coniunctas, quas Doctor iste (qui Card. *Bellarminus* esse à multis prædicatur) mihi summam per iniuriam de industria imponit, aut Card. *Bellarmino*, aut alicui alteri Catholico imposuissem, profectò *Doctor* iste, me non solùm omni sanctitate, verùm etiam charitate, iustitia, sinceritate, ac modestia Christiana omnino vacuum esse plenis faucibus conclamaret.

12 Quòd autem ego *aduersus* Card. *Bellarmini*, *affecta iam ætate*, rationes, *Apologiam* ipsius confecerim, seu argumenta ipsius ex proprijs eius principijs confutauerim, ipsemet Card. *Bellarminus* in causa erat, qui verba illa [*non tam sententia, quàm hæresis*]

resis] quæ iunior in prioribus operum ſuorum Editionibus prætermiſit, affecta iam ætate in poſterioribus adiungere non dubitauit; cum tamen nullam planè rationem vel ex verbo Dei, vel ex ſacris Concilijs ad nouam illam hæreſim *ſcilicet* refellendam de nouo adduxerit. Neque enim aut veritati Euangelicæ ſatis conſonum, aut Principum ſecuritati ſatis conſultum eſſe iudicaui, vt noua fides Catholica in tam graue Religionis Catholicæ ſcandalum, atque in ſummam Regiæ dignitatis iniuriam in orbem Chriſtianum abſque ratione ſufficienti inveheretur. Quæ verba, ſi Card. *Bellarminus* miſſa feciſſet, neq; contrariam Catholicorũ ſententiam vt *hæreticam* condemnaſſet, ſed cuivis in propria ſua, quam veriorem arbitraretur, opinione abſque *hæreſeos* nota perſiſtere integrum permiſiſſet, non habuiſſet iam *Widdringtonum*, vt alias [l] proteſtatus ſum, qui ſibi, quem multis nominibus veneratur, *affecta iam ætate* aduerſaretur, aut qui eius rationes tanquam ad rem de fide certam *demonſtrandam* minùs ſufficientes ex ſuis

l *in Præfat. Reſp. Apolog. num.* 10.

ſuis ipſius principijs evertere attentaret.

5.

1. Q*Vintò, quod ad nomen, titulumq; Auctoris ſpectat,* ait Doctor iſte, *indigitare ſe* Rogerum Widdringtonum *Catholicum Anglum, quod quàm ſincerè, ac rectè faciat, paulo accuratiùs diſpiciendum videtur.* Rogerum Widdringtonum *intelligo eſſe iuvenem Catholicum, & nobilem: at hunc Auctorem multa ſunt, quæ heræſews accuſant, & omnino reum peragunt, vt mox videbimus.*

Quare non leuis multorum eſt ſuſpicio, Auctorem huius libri non eſſe Rogerum Widdringtonum, *ſed aliquem alium impoſtorem, qui hæreticus cum ſit, velit ſub nomine Catholici latere, vt viros Catholicos faciliùs circumveniat.* Hæc *Doctor* iſte pag. 2.

2. Veruntamen notum eſt, & hîc apud nos ſatis exploratum, tum *Rogerum Widdringtonum* quinquaginta fermè

fermè annorum iuvenem, quiq; viginti octo ab hinc annis in celeberrima Cantabrigiensi Academia literis operam dedit, & *Catholicum* esse, & se huius libri *Auctorem* esse palam agnoscere; tum etiam illum alium, qui istius libri *Auctor* esse *Romæ* prædicatur, & verè Catholicum esse, & plura pro fide Catholica, quam publicè profitetur, (absit invidia verbo) sustinuisse, quàm *Doctor* iste, pace eius dixerim, hucvsque sustinuit, aut vnquam fortasse sustinebit. Quin potiùs *Doctorem* istum, qui fidem suam Catholicam tam gloriosè venditat, & aliorū fidē tam contumeliosè calumniatur, si fide verè Catholica, quæ infallibilis omnino est, neque errori obnoxia, sed in omnibus verè Catholicis vna, & eadem, firmiter credat, vti prætendit, *Romanum Pontificem* Concilio Oecumenico superiorem esse, & res fidei per semetipsum solum certò definiendi, atque *Principes supremos* suis dominijs priuandi potestatem habere, quæ apud viros verè Catholicos controuersa sunt, atque in opinione posita, & proinde fide verè Catholica,

quamdiu

quamdiu controuersa sunt, minimè credenda, non leuis tantùm quorundam suspicio, sed magna etiam plurimorum dubitatio est, se verum, & sincerè Catholicum esse probare nequaquam posse.

3. Enimuerò sim *Rogerus Widdringtonus*, sim quicunque alius, (parum enim refert, quo nomine nuncuper, dummodo causa, quam tueor, iusta sit, & fidei Catholicæ principijs consentanea) quicunque sum, Catholicus sum, & talem me esse sæpiùs professus sum, & quæ scripsi, pro communi totius Christianitatis bono conseruando, pro perpetua inter *Regnum*, & *Sacerdotium* concordia stabilienda, & pro vera, ac debita fidelium omnium obedientia, qua *Deo*, & *Cæsari*, *Pontifici*, & *Regi* ex *Christi* lege astricti manent, quamque absque æternæ salutis discrimine, vt alia pericula mittam, ignorare non possunt, perdiscenda scripsi.

§. 6.

§. 6.

1 SExto, ait *Doctor* iste, quòd *hic Auctor*, nempe *Widdringtonus, titulum* Catholici *sibi ascribens, iniuriâ, nec satis consideratè faciat. Nam siue Auctores, quos sequitur, siue dogmata, quæ asserit, examines, nihil viro sincerè* Catholico *dignũ inuenies. Pro suis, quos sequitur, Auctoribus non paucos adducit, quos Ecclesia Catholica à sua communione reiecit. Dogmata aduersùs eandem Ecclesiam non pauca defendit.*

Nam num. 4. *pro suis Auctoribus agnoscit* Gulielmum Occamum, *&* Dantem Aligherium *cum alijs, quos citat* Azorius tom. 2. *Instit. moral.* lib. 4. cap. 19. q. 1.

Ioannes *autem* Azorius *primo loco nominat* Marsilium Patauinum, *qui manifestus hæreticus fuit, & in primam classem Indicis librorum prohibitorum relatus.* Dantem Aligherium *ob hoc ipsum dogma, quod* Aduersarius *defendendum suscepit, ab Ecclesia Catholica hæreseωs damnatum, testatur* Bartholus in

in leg. 1. ff. *de requirendis reis*. §. vltimo ad finem. *Et vero eius* Monarchia, *vbi hanc sententiam docet, expressè in Indice librorum prohibitorum interdicitur.*

Quamuis autem Aduersarium puduerit Marsilium *nominare, doctrina tamen, quam in hoc libro statuere conatur, eadem est omnino cum ea, quam ex* Marsilio *refert* Azorius. *Quare, cum vel heretici, vel de hæresi valde suspecti sint, quos* Widdringtonus *ceu* Magistros *suæ doctrinæ sequitur, de hæresi non suspectus esse non potest, & videtur illud Prophetæ in illum quadrare,* Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Ezech. 16. *Mali corui malum ouum.* Hæc *Doctor* iste. Pag. 4.

2. Veruntamen, quàm falsè, contumeliosè, inscitè, parumque considerate *Doctor* iste hoc argumento ad me *hæreseωs accusandum, & omnino reum peragendum* vsus fuerit, quis non videt? Nam inprimis falsum est, me, aut *Dantem*, aut *Occamum* pro meis Auctoribus produxisse; cum cuius opinionis *Occamus* fuerit, quod ad hanc

hanc quæstionem spectat (tam dubie, & inconstanter, nunc in vnam, nunc in aliam partem propendens, loquitur) nondum sciam ; Et *Dantem* temporalem *Summi Pontificis* Monarchiam, & directum eius in temporalibus dominium in eo libro tantùm impugnasse probè nouerim; & propterea non ego eos pro mea sententia eo loco allegaui, sed à *Ioanne Azorio* in fauorem illius sententiæ citatos esse duntaxat asserui.

3. Et tametsi eos, non quidem solos, sed cum alijs plurimis Catholicis pijs, ac eruditis, quos ibidem recensui, quorum libri neque prohibiti sunt, neque ipsi de hæresi suspecti, coniunctos, pro meis *Auctoribus* produxissem, hanc tamen planè ineptam me de *hæresi* suspectum reddendi causam esse manifestum est; cum *Ioannes Azorius* [a] *Gulielmum Occamum* inter Doctores classicos, & secundæ classis Theologos ponat, & *Franciscus Suarez*, *Gabriel Vasquez*, alijq; Theologi etiam recentiores (nam *Gabriel Biel*, cæterique antiquiores Theologi, quos *Nominales* vocant, eum tanquam Ducem,

a *Tom.* 1. *instit. lib.* 2. *cap.* 14.

Ducem, Principem, & primum suæ doctrinæ *Auctorem* sequi non verentur) eum inter *Authores*, & propugnatores suæ sententiæ sæpiùs numerare non reformident: Quin & *Nicolaus Sanderus*, [b] illud, quod de paupertate Christi, & Apostolorum *Occamus* docuit, ob quod à *Ioanne* Papa 22. excommunicatus, & de hæresi suspectus erat, benignè interpretatur, ipsumque in eo tantùm reprehendit, *quod Summi Iudicis decreto suum qualemcunque sensum non subiecerit.*

b *Lib. 7. de visib. Monarchia ad annum* 1316.

4. Quod autem ad *Dantem* spectat, quem *Doctor* iste, vt solito suo more authoritati illius detrahat, ac si hanc de temporali Summi Pontificis Monarchia quæstionem tractans *rebus Theologicis, quas minimè norat, se immiscuisset*, [c] eum tanquam purum putum *Poetam*, & Sacræ Theologiæ penitus ignarum depingere non erubescit [d] (sicut ob eandem causam, vt aliàs [e] admonui, *Sigebertum*, & *Ioannem Trithemium*, ceu *meros Historicos*, & *Laurentium Vallam* ceu *merum Grammatistam*, atque Theologiæ ex-

c *Pag.* 64.

d *Ibidem*, & *pag.* 130.

e *In Confutat. Thomæ Fitzherb.*

pertes describere non est veritus, quos tamen omnes, doctos etiam fuisse Theologos, atque in diuinis literis exercitatos, ipsum latere non potuit) satis constat, *Dantem*, & verè *Catholicum fuisse*, & spiritualem Summi *Pontificis* in *Principes* Christianos potestatem agnouisse, [f] atque insuper, tametsi *Poeta* fuerit præstantissimus, & nulli ætate sua inferior, *insignisque Philosophus*, fuisse tamen eum etiam *in Diuinis Scripturis omnium suo tempore studiosissimum, valdeq; eruditum Ioannes Trithemius* in libro suo de Scriptoribus Ecclesiasticis verbis disertissimis testatur [g].

f *In fine suæ Monarchiæ.*

g *Ad annum* 1321.

5. Sed *Dantem*, ait *Doctor* iste, *ob hoc ipsum dogma, quod* Widdringtonus *defendendum suscepit, ab Ecclesia Catholica* hæreseos *damnatum testatur* Bartholus.

Veruntamen *Doctor* iste neq; satis cautè, neque sibi satis consonè istud *Bartholi* testimonium aduersùs me producit. *Bartholus* enim eo loco tantùm affirmat, *Dantem post mortem suam* (nam si dum in viuis esset, liber eius condemnatus fuisset, ipse procul

dubio

dubio ab hæresi se purgasset) *quasi fuisse damnatum de hæresi, quòd Imperium ab Ecclesia dependere negauerit*, seu temporalem Summi Pontificis Monarchiam, & directum eius in temporalibus dominium impugnauerit. Et quod magis mirandum est, *Doctor* iste paulo inferiùs [h] refert, *Conarruuiam*, & *Nauarrum ob hoc ipsum reprehendisse temeritatis* Bartholum, *& quosdam alios, qui dicunt, hæreticam sententiam illam esse, quæ docet, Papam non habere potestatem temporalem ex iure diuino nisi in ordine ad bonum spirituale:* Verba Covarruviæ hæc sunt [i].

6. *Quartò, planè inde colligitur nimis audacter* Bartholum in leg. 1. ff. de requirendis reis *dixisse, contrariam opinionem communi sententiæ hæreticam esse: Hoc etenim falsum est. Nec enim* Bartholus *videtur rectè intellexisse, quid sit hæresis, dum ita propere viros doctissimos hac nota dignos esse censuit. Sic &* Antonius à Rosellis *itidem errauit, scribens*, [k] *hæreticum esse asserere, Romanum Pontificem temporalem potestatem à Deo habuisse, & habere, eamque Imperatori tradere. Modestius enim*

h *Pag.* 224.

i *In Regulam*, Peccatum 2. *part. Relect.* §. 9. *num.* 7.

k *In tract. de potest. Papæ, &* Imperat. *fol.* 8. §. *ne prolixius.*

fecissent hi Doctores, si hæresis nomen, & notam, Ecclesiæ definitioni reliquissent. Siquidem etsi opinio communis falsa censeri possit, hæretica tamen dici, donec ab Ecclesia contrarium fuerit definitum, absque temeritatis nota minimè valet. Hactenus enim nihil certum in hac controuersia Ecclesia Catholica definiuit, proptereaque disputationi locus est absque vlla hæreseωs suspicione.

7. Quapropter, si *Doctor* iste fidem *Barthelo* hac in re adhibendam esse velit, ipsemet etiam Card. *Bellarminus*, qui hoc ipsum dogma, quod *Dantes* defendendum suscepit, & teste *Barthelo* ab Ecclesia damnatum est, totis viribus propugnat, non solùm de *hæresi* suspectus, sed & conuictus, & planè hæreticus censeri debet. Sed eadem *Bartholi* verba, dum *Widdringtono* aliquam *hæreseωs* notam inurere possunt, *Doctor* iste nequaquam reprehendit, sed dum Card. *Bellarminum* aut hæreticum, aut de hæresi suspectum esse perspicuè commonstrant, statim temeraria censenda sunt. Ita cautè, & consonè *scilicet*, *Doctor* iste istud *Bartholi* testimoniū, quod

quod Card. *Bellarminum hæreseωs accusat, & omnino reum peragit*, aduersus *Widdringtoni* doctrinam producere non formidauit.

7. At *Dantis Monarchia*, ait Doctor iste, [l] *expressè in Indice librorum prohibitorum interdicitur, & ob hunc ipsum errorem, quem* Widdringtonus *defendendum suscepit, ab Ecclesia Catholica proscripta est.*

[l] Pag. 4. 64. & 130.

Sed imprimis, si *Bartholo* credendum est, *Dantis Monarchia*, ob doctrinam, quam Card. *Bellarminus* simul cum *Daute* docet, ab Ecclesia proscripta, atque de hæresi damnata est.

8. Deinde, non me latet, *Dantis Monarchiam*, & plures alios Catholicorum libros de potestate Summi Pontificis in temporalibus tractantes, veluti *Sigiberti* Responsiones ad duas epistolas *Gregorij* Papæ septimi, & *Paschalis* secundi; librum de *Vnitate Ecclesiæ Venerico* Episcopo Vercellensi ascriptum; *Disputationem* inter Clericum, & Militem de Iurisdictione Regia, & Sacerdotali *Carolo* quinto Francorum Regi *dedicatam*, vt alios

nunc taceam, in Indice librorum prohibitorum expreſſè interdici: Sicut & meam *pro Iure Principum Apologiã*, atque *Diſputationem Theologicam de Iuramento fidelitatis* veſtræ *Beatitudini* nuncupatam in eodem Indice ex decreto Sacræ *Congregationis* reponendam eſſe omnes norunt: Attamen neque *Dantis Monarchiam*, aut prænominatos libros ab Eccleſia Catholica proſcriptos eſſe, ſicut *Doctor* iſte affirmat, niſi *Eccleſiam Catholicam* ad paucos quoſdam Cardinales, & Theologos Romanos, qui à *Sede Apoſtolica* librorum *Cenſores* conſtituti ſunt, coanguſtare quis velit, hactenus ſcio, neque etiam cauſam, ob quam, vel *Dantis Monarchia*, vel ſimiles libri proſcripti ſint, hucvſq; noui: Sicut neque ego crimen aliquod, ob quod libri mei prohibiti ſunt, quantumuis illud à veſtra *Sanctitate*, vt ab eo me purgare queam, ſummis precibus deprecatus fuerim, ad hunc vſque diem addiſcere poſſum.

9. Sed quam ob cauſam crimina hæc, ob quæ libri Catholicorum, qui inde grauem ſuæ famæ iacturam patiuntur,

tiuntur, interdici ſolent, in ſecreto pauciſſimorum quorundam *Cenſorũ* pectore latitare, neq; iuxta antiquum libros prohibendi morem, in ipſomet decreto, vt, & eorum *Authores* ab ijs ſepurgare, & *Lectores* ab illis criminibus cauere poſſint, exprimi debeant, ſed per alios buccinatores, quibus neq; libros prohibendi munus concreditũ eſt, neque etiam veras, ob quas tales libri prohibentur, cauſas ferunt, ſed ipſi ex ſuo cerebro, & pro ſuo commodo, provt propria cuiuſq; opinio, aut affectio eum ducit, cauſas, ob quas eiuſmodi libri proſcripti ſunt, imaginantur, talia crimina prædicari permiſſum ſit, magnum ſanè myſterium eſt, & paucis, vti opinor, reuelatum. Sed tale profectò arcanum eſt, quod iuſtam viris Catholicis, quorum nomen antea venerandum ex tali *Indice* infame redditur, ipſum *Indicem expurgatorium*, niſi clarior, & expurgatior prodeat, quàm hactenus prodierit, & *Cenſores* à libris Catholicorum, qui de rebus controuerſis tractant, more tam inſolito, nullo planè crimine, ob quod prohibentur, indica-

to, tametſi *Author*, vt ab eo ſe purgare poſſit, illud maximè efflagitet, proſcribendis deſiſtant, in controuerſiam vocandi, eiuſq; auctoritatē, accuratiùs quàm antea, examinandi occaſionem procul dubio ſubminiſtrabit.

10. Neque tamen propterea exiſtimo, aut *Indicem expurgatorium*, eiuſque auctoritatem a viris Catholicis paruipendendam eſſe, aut decreta *Illuſtriſſimorum Cardinalium* libros prohibentium, tametſi iniuſta, atque vel in falſa informatione, maloque ſententiæ alicuius intellectu, vel in fallibili opinione, quam nemo ſequi tenetur, fundata ſint, neque in conſcientia obligent, eſſe à Catholicis contemnenda: Sententiam enim Paſtoris iniuſtam, quantumuis non ſemper obſeruanda ſit, nunquam tamen contemnendam eſſe cenſeo. Fateor etiam cum doctiſſimo, & deuotiſſimo Gerſone, [m] *ſententiam Papæ ligare omnes ad non dogmatizandum contrarium, niſi per illos, aut apud illos, qui manifeſtum contra fidem deprehendunt errorem, & ſcandalum grande fidei ſuo ſilentio*

m *In tract. de examinat. Doctrin.* §. 2. *veritas.*

tio

tio fieri, si non opponerent se, cognoscunt. Quòd si fieret prosequutio sententiarum, & pœnarum contra eos, sciant beatos esse, qui persequutionem patiuntur propter iustitiam.

11 Quam magnum autem scandalum ex nouis hisce fidei dogmatibus (quæque alioquin supremis *Principibus* adeo iniuriosa, & sudditorum conscientijs tam periculosa sunt) absq; auctoritate sufficienti, aut vlla Ecclesiæ definitione, quæ sola iuxta communem Theologorum sententiam, rem, apud Catholicos controuersam, de fide certam, contrariamque doctrinam hæreticam, atque ita ab omnibus habendam reddere valet, orbi Christiano, sub Religionis Catholicæ velo, quasi per vim obtrusis, atque modo ita indebito propugnatis, fides Catholica in hoc præsertim Angliæ Regno passa sit, & adhuc etiam sustineat (cum pauci tantùm Catholici *Regi* nostro Serenissimo constantes subditi, sed ad arbitriũ tantùm Summi *Pontificis*, in cuius arbitrio est iuxta nouam huius *Doctoris* Catholicam fidem *Regem* nostrum hodie, vel cras

deponere,

deponere, & ſubditos illius a ſua fidelitate abſoluere a *Proteſtantibus* iudicentur) nemo, qui poſterioris huius ſeculi res geſtas vel leuiter expenderit, ignorare poteſt.

12. Præterea, tametſi *Marſilius Patauinus* (quem tamen ego pro mea ſententia, cum viros tantùm Catholicos proferre decreuerim, nequaquã produxi) aut alius quicunque hæreticus in ea opinione fuerit, quòd Summus *Pontifex* nullam ex *Christi* inſtitutione *Principes* deponendi poteſtatem habeat, hoc tamen neque ad doctrinam iſtam vt hæreticam confutandam, neque ad me ea de cauſa de hæreſi ſuſpectum reddendum ſufficiens argumentum eſſe poteſt, niſi vel ſoli hæretici doctrinam iſtam propugnarent, vel idcirco ab Eccleſia condemnati eſſent, quòd eam propugnare auſi fuerint, cum notum ſit, quoſcunque hæreticos in pluribus fidei dogmatibus vnà cum Catholicis conuenire. At clarum eſt, non ſolos hæreticos, ſed plurimos etiam Catholicos, quos alibi [n] recenſui, hanc doctrinam propugnare, & *de hac re certare*

n *Apologia nu. 4. & ſeq. in Diſp. Theol. cap. 3. ſec. 3. in confutat. Thomæ Fitzherberti part. 1. & ſupra in Supplicat. nu. 28. & ſeq.*

certare Scholasticos, & adhuc sub Iudice litem esse, vt ait *Trithemius*, [o] *an Papa possit Imperatorem deponere.*

13. Quapropter falsissimum est, quod *Doctor* iste adeo confidenter, ne quid grauius dicam, affirmat; nempe *Principem, & Magistrum meæ doctrinæ fuisse* Marsilium *hæreticum*, ac si ipse primus huius doctrinæ Auctor, ac Magister fuerit, cum ego (vt alios Catholicos *Marsilio* antiquiores, & complures etiam ex Patribus antiquis, quos ibidem recensui, nunc taceam) *Sigebertum* virum pietate, & doctrina clarissimum, qui per trecentos ferme annos ante *Marsilij Patauini* obitum floruit, pro mea doctrina comprobanda protulerim, quique, propterea quod primus omnium nouam *Gregorij* Papæ septimi, & ante ea secula inauditam, de *Principibus* authoritate *Papali* deponendis praxim, quã ipse *nouitatem*; ne diceret, *hæresim*, appellare non est veritus, validis Patrum testimonijs confutauerit, *primus* istius doctrinæ, etsi non *Auctor*, cum plures alij ante eum, etiam ex Sanctis Patribus illam satis apertè tradiderint, tamen

[o] *In Chronico Monast. Hirsaug. ad annum* 1105.

tamen ex instituto propugnator meritò dici potest.

14. At quinam vnquam Scriptores *Sigebertum*, aut hæreticum, aut de hæresi suspectum, aut etiam Schismaticum ante Card. *Baronij* tempora, qui *Sigeberto* notam *Schismatis* falsè, summamque per iniuriam, vt alias [p] ostendi, inussit, [q] reputarunt? Aut quinã Doctores Theologi *Henricum* quartum, *Fredericum* secundũ, *Ludouicum* Bauarum Imperatores, *Philippum Pulchrum* Regem Francorum, aliosque Reges, aut Imperatores, eorumque sequaces, eo quòd eiusmodi potestatem Summi *Pontificis Reges* deponendi impugnauerint, hæreticos iudicarunt? Aut quinam ex ijs omnibus Auctoribus, qui de hæresibus scripserunt, & *Marsilij* errores nominatim retulerunt, hanc *Marsilij* doctrinam inter hæreses, aut errores ab Ecclesia condemnatos recensuere?

15. Adeo vt, & parum cautè *Doctor* iste hoc argumentum ad doctrinam meam, vt hæreticam, aut de hæresi suspectam, refellendam, ex quo contrarium potiùs apertissimè deducitur

p *In confutat. Thomæ Fitzher. part. 1.*

q *In Annalib. ad annum. 774.*

citur

citur, attulerit, atque etiam *Sanctitas* vestra perspicuè videre poterit, qualẽ fidem Catholicam, quod ad hanc doctrinam spectat, antiquiores Theologi amplexati sint, priusquam pauci quidam recentiores, *Iesuitæ* præsertim, infirmis fundamentis nixi, & nulla Ecclesiæ definitione fulti, nouam fidem Catholicam procudere, & vi magis, ac terroribus vestræ *Sanctitatis* authoritati confisi, quàm solida ratione, & firmis argumentis ducti, eam orbi Christiano obtrudere tentauerunt.

16 Scio, non paucos doctissimos Theologos hanc Summi *Pontificis* potestatẽ *Principes* abdicandi totis viribus propugnasse, eamq; ex verbo Dei, ex Concilijs Oecumenicis, ex Sacris canonibus, ex Summorũ Pontificum factis, alijsq; rationibus Theologicis deducere conatos esse, sicut in alijs Disputationibus Scholasticis mos est (vt patet in quæstionibus de auxilijs diuinæ gratiæ, de prędestinatione, de immaculata Dei paræ conceptione, de potestate Papæ, & Concilij, atque similibus) verùm paucissimi ex illis reperiuntur,

periuntur, qui contrarium ſentientibus *hæreſeos* notam inurere, ſeque ab illis in fidei, aut Sacramentorum communione ſeparare auſi ſunt. Modeſtius ſanè, & Chriſtianæ humilitati magis cõſonum eſſet, ita vnumquemque ſapere, vt alios deſipere non exiſtimet, ita propriam opinionem amplecti, vt aliorum iudicium nòn facilè condemnet, cum fieri poſſit, vt, quod hodie certum nobis apparet, cras vix probabile videatur, & quod iuniores ſcripſimus, ſeniores effecti retractemus, quod ipſemet Card. *Bellarminus*, vir alioqui doctiſſimus, ſuis *Recognitionibus* comprobauit, qui plura quæ ſcripſit iuuenis, retractauit ſenex, & plura etiam, ſaltem in quibus ſibi apertè, vt aliàs [r] oſtendi, contradicit, ſe honoris ſui gratia retractaturum ſperamus. Atque hæc de duobus illis ſuſpectæ fidei *Auctoribus* à me ad meam ſententiam confirmandam, vti *Doctor* iſte affirmat, allatis, quos ipſe tropicè admodum *non paucos* appellauit, dicta ſufficiant.

[r] *Vide ſupra* §.1.*nu*.9.

17 Quæ autem *Doctor* iſte ex *Propheta* de mea radice & generatione in fine

fine ſubiungit, cum ad conuitia ſpectent, Reſponſionem non merentur, atque totidem planè verbis in ipſum Card. *Bellarminum* retorqueri poſſunt. *Dantes* enim, *Marſilius*, atque *Occamus* primi fere, & præcipui ex illis *Auctoribus* fuerunt, qui directam Summi *Pontificis* in temporalibus Monarchiam impugnarunt, quam Monarchiam Card. *Bellarminus* in ſuis Controuerſijs vehementer etiam impugnat.

18 Quamuis autem Card. *Bellarminum* puduerit *Dantem*, *Marſilium*, atque *Occamum* nominare; Doctrina tamen, quam Card. *Bellarminus* in ſuis Controuerſijs ſtatuere conatur, eadem eſt omnino cum ea, quam illi propugnant. Quare cum vel hæretici, vel de hæreſi valde ſuſpecti ſint, quos Card. *Bellarminus* ceu magiſtros ſuæ doctrinæ ſequitur, de hæreſi non ſuſpectus eſſe non poteſt; & videtur illud Prophetæ in eum quadrare: *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Ezech. 16. *Mali corui malum ouum.* Sed cum huiuſmodi

conuitia magis mulierculas rixantes, quàm Theologos disputantes deceant, an ridenda magis sint, quam deploranda, vix iudicare scio. Hæc in genere de *Auctoribus*; nunc *dogmata*, quæ *Doctor* iste me *hæreseos accusare, & omnino reum peragere* affirmat, *summatim* etiam *lustremus*.

---

§. 7.

1. S*Eptimò* igitur *Doctor* iste affirmat, me in *Præfatione hoc dogma statuere*: Iure diuino deberi obedientiam Principibus hæreticis in rebus politicis, non obstante quacunq; sententententia Excommunicationis, vel depositionis à Summo Pontifice contra eiusmodi Principes hæreticos lata.

Contrarium est hoc dogma, ait *Doctor* iste (*vt alia nunc omittam*) *canoni*, Nos sanctorum. 15.q.6. *Qui est à* Summo Pontifice *in Concilio* Romano *editus, vbi iubentur fideles non obedire* Principi *à Sede Apostolica excommunicato.*

Itaque

Itaque Romana Ecclesia prohibet obedientiam præstari Principi a Sede Apostolica excommunicato. Aduersarius hanc Ecclesiæ doctrinam cum iure diuino pugnare, & iure diuino deberi obedientiam Principi, etiamsi ob hæresim sit excommunicatus, affirmat, & tamen se Catholicum, id est, eiusdem Ecclesiæ filium pronunciat. Maledictus a Deo qui exaſperat matrem *Eccleſ.* 3. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus *Math.* 18. Ita *Doctor* iſte pag. 5.

2 Fateor equidem, dogma iſtud totius inter me, & Card. *Bellarminum* controuerſiæ caput eſſe. Aio enim eo loco, *doctrinæ Catholicæ principijs non repugnare, quin potiùs conſentaneum eſſe, quòd Principibus etiam hæreticis, non obſtante quacunque Excommunicationis, aut depriuationis ſententia a Summo Pontifice contra illos lata (vtpote cui poteſtas tantum ſpiritualis, & non ſecularis, qualis eſt Principes deponendi, ex Christi inſtitutione competit) ſit a populo illis ciuiliter ſubiecto obedientia in rebus politicis iure diuino exhibenda,*

3 Quapropter verus iſtius inter

me, & Card. *Bellarminum*, *quod ad doctrinam ſpeculatiuam attinet*, quæſtionis ſtatus eſt, an *certum* ſit, & *de fide*, adeo vt contrarium Catholicæ doctrinæ principijs repugnet, & a nullo ſincerè Catholico defendi queat, eſſe in Summo *Pontifice* ex Chriſti inſtitutione poteſtatem *Principes* Seculares per depriuationis ſententiam deponendi, eorumque ſubditos a fidelitate temporali illis iure diuino aliàs debita abſoluendi. Card. enim *Bellarminus* partem affirmatiuam mordicùs tuetur, ego negatiuam conſtanter teneo. Dixi, *quod ad doctrinam ſpeculativam attinet*, nam ſi ſemel admittatur, non eſſe *certum*, ſed apud Catholicos controuerſum, an *Papa* poſſit *Principes* deponere, *certum* eſt, & abſque controuerſia, non poſſe *Principem* per *Papam* depoſitum, quod ad *praxim* attinet, e legitima Regni ſui poſſeſſione, lite pendente, abſque manifeſta iniuria deturbari.

4 Vero igitur huius controuerſiæ ſenſu ita declarato, *Reſpondeo* inprimis, hoc ipſum argumentum, quod *Doctor* iſte ex can. *Nos ſanctorum* hîc

contra

contra meam doctrinam vrget, ab ipsomet inferiùs [a] perspicuè satis dissolui Nam cum vt doctrinam meam, hæreticam esse comprobaret, simile argumentum ex cuiusdam *Concilij Romani* sub *Gregorio* etiam septimo anno 1076. celebrati authoritate desumptum produxisset, *in quo Concilio Doctor* iste, *Leonardum Lessium*, [b] virum alioqui eruditissimum, sequutus, falsò, inscitè, & absque vlla ferme, vt alias [c] euici, probabilitatis specie affirmat, *conclusum, & definitam fuisse, quod Papæ liceat Imperatores deponere. Item quòd a fidelitate iniquorū subiectos possit absoluere*, huic argumento ita respondet.

a Pag. 259.

b In Disp. Apolog. pro potest. Sum. pont. part. 2. sect. 3. pag. 396.

c In Disput. Theol. cap. 3. sect. 1.

5 *At inquiet* Widdringtonus, *etsi quidem definitiones Conciliorum generalium a Pontifice approbatorum, & confirmatorum sunt fide Catholica tenendæ, non tamen definitiones Pontificum sunt de fide, quas Pontifex vel solus, vel in Concilio particulari definit. Sed Romanum illud Concilium sub* Gregorio *septimo fuit particulare.*

5 Hanc autem meam Responsionem, quam ego in *præfatione Responsionis*

d *num.27. & ſeq.* *ſionis Apologeticæ* adhibui, *Doctor* iſte ita frigidè refellit, vt eam potiùs admittere, quam improbare videatur.

Reſpondeo, inquit, *communiſſima fere omnium Catholicorum ſententia eſt, Pontificem non poſſe vllo modo (ſiue cum Concilio, ſiue ſine Concilio definiat) errare, cum definit aliquid ex Cathedra, quod videlicet eſt a tota Eccleſia credendum. Ita enim docent D. Thomas, Thomas Waldenſis* &c.

6 Sed quis iſtius *Doctoris* inconſiderantiam non admiretur, qui adeo indoctè *ex communiſſima fere omnium Catholicorum ſententia* contrariam Catholicorum ſententiam *hæreticam* eſſe concludere, & contra notiſſima Dialecticæ principia ex præmiſſis *de fide non certis* concluſionem *de fide certam* deducere non erubeſcit? Quis enim alicuius notæ, & nominis *Doctor* Theologus communiſſimam fere omnium Catholicorum ſententiam vt D. *Thomæ*, *Thomæ Waldenſis* &c. rem illam; quam opinantur, ſi alij contra pugnant viri Càtholici, de fide certam eſſe vnquam affirmauit?

6 *Nam Theologorum Scholaſticorum,*

rum, ait *Canus*, [e] *etiam multorum testimonium*, vt alibi [f] annotaui, *si alij contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quàm vel ratio ipsorum, vel grauior etiam authoritas comprobarit. Vnde in Scholastica Disputatione plurium auctoritas obruere Theologum non debet, sed si paucos viros modo graues secum habet, poterit sanè aduersùs plurimos stare.*

f *In dicta præfat. nu. 12.*

Et pulchrè *Nauarrus*, [g] *Non videtur*, inquit, *vna opinio appellanda communis ad effectum præiudicandi alteri, eo solo quòd plures eam sequantur, tanquam oues aliæ alias, quæ præcedunt sine iudicio sequentes, velut aues, quæ vnam volantem aliæ omnes sequuntur*, (sicut in hac quæstione de temporali Summi Pontificis in Principes Seculares potestate contigisse, quiuis, qui primam huius controuersiæ originem, & progressionem diligenter expendet, perspicuè videre poterit.) *Communiorem enim ad hoc existimarem illam, quam sex, vel septem Auctores classici rem ex professo tractantes assererent, quàm probatam a quinquaginta, sola fere auctoritate aliorum ductis. Opinio enim communis*

g *In Enchirid. cap. 27. num. 289.*

munis non ex numero opinantium, ſed ex pondere auctoritatis ſit. Quin & arbitror vtramque ad hoc poſſe dici communem, quando vtraque habet octo, vel decem aſſertores graues, & cum iudicio eam deligentes.

7. Quin etiam *Gabriel Vaſquez* [h] vnius tantùm viri docti ſententiam, *qui non parum in ſtudijs laborauit, quiq; optimè vidit rationes contrariæ partis, eaſq; omnes examinauit, & expendit, iudicantis contra cæteros, qui ipſum præceſſerunt Scriptores, poſſe eſſe probabilē, atq; in praxi tutam, adeo vt & eam amplecti, & ſecundam illam rectè operari poſſit, diſertis, vt aliàs obſeruaui, verbis pronunciat.*

h *Prima ſecundæ diſp.*62. *cap.*4.

i *In Diſput. Theolog cap.* 10. *Sec.* 2.

An non *Alphonſus Salmeron*, & *Franciſcus Suarez* pro immaculata B. Virginis conceptione confirmanda totius ferme Eccleſiæ Catholicæ conſenſum producunt, & nihilominus contrariam ſententiam abſque vlla *hæreſεωs, erroris*, aut *temeritatis* nota defendi poſſe, tum ipſi apertè aſſerunt, tum abſque graui ſcelere denegare non poſſunt? *Nos*, inquit *Salmeron*, [k] *vniuerſæ penè Eccleſiæ conſenſum opponimus.*

k *Ad Rom.* 5. *diſp.* 51. § *Deinde.*

opponimus. Et Suarez[l], *Secundum,* inquit, *fundamentum ex Ecclesiæ authoritate sumendum est: Et primùm, totius ferè Ecclesiæ vniuersalis consensus: Et præsertim ab hinc ducentis annis ferme omnes Ecclesiastici Scriptores, Episcopi, vniuersæ fere Religiones, & Academiæ subscripserunt.*

8. Quapropter esto, communissima fere omnium Catholicorum sententia sit, Pontificem non posse vllo modo (siue cum Concilio, siue sine Concilio definiat) errare. At contraria sententia est etiam grauissimorum, pijssimorum, & doctissimorum Catholicorum communis: Ita enim docent Doctores illi, qui Concilium generale superius esse Romano Pontifice arbitrantur, vt *Adrianus* Papa sextus, [m] Cardinalis *Cameracencis,* [n] Card. *Cusanus,* [o] Card. *Panormitanus,* [p] Card. *Florentinus* Panormitani magister, [q] *Ioannes* [r] Patriarcha Antiochenus, *Alphonsus Tostatus* [s] *Episcopus* Abulensis, *Ioannes Parisiensis, Ioannes Gerson, Ioannes Maior, Iacobus Almainus* [t], & tota ferme Parisiensium Schola. Quin etiam quidam ex

l *Tom. 2. disp. 3. Sect. 5.*

m *In q. de Confir.*

n *In tract. de auctorit. Eccles.*

o *De concord. Cath. lib. 2. cap. vlt.*

p *In cap.* significasti *extra de electione.*

q *Ibidem.*

r *Citatus à Maiore.*

s *In cap. 18. Matth.* q. 108. *& in defensorio part. 2. cap. 69.*

t *In suis tractatib. de potest. Eccles.*

iſtis, qui Concilio Conſtanţienſi interfuerunt, quiq; propterea mentem Concilij in hac re minimè ignorarunt, vt Cardinalis *Cameracenſis*, Card. *Cuſanus*, Patriarcha *Antiochenus*, & *Ioannes Gerſon* aſſirmare non dubitant, doctrinam hanc, de ſuperioritate Eccleſiæ, ſeu *Concilij Generalis* in *Summum Pontificem*, fuiſſe in eo Concilio definitam.

9. Deinde, tametſi communiſſima fere omnium Catholicorum ſententia eſſet, Romanum Pontificem eſſe Oecumenico Concilio ſuperiorem, neque poſſe vllo modo errare, ſiue cum Concilio, ſiue ſine Concilio definiat, non tamen communiſſima, nec communis, ſed pauciſſimorum tantùm ſententia eſt, doctrinam hanc eſſe *de fide certam*. Vnde *Navarrus*, noſtri temporis Scriptor, idemque Theologus inſignis, & Iuris Canonici ſcientiſſimus, apertiſſimè docet, de hac re inter Romanos, & Pariſienſes Theologos adhuc probabiliter diſceptari, neque ipſe magis in vnam, quàm in aliam partem propendet.

10. *Eſt*, inquit, [u] *maxima diſcordia Romanorum*,

u *In cap. Novit. de Iudicijs notab. 3. num. 84.*

Romanorum, & Parisiensium, cui principaliùs potestas Ecclesiastica fuerit à Christo collata, an Ecclesiæ toti, an vero ipsi Petro. Illi enim tenent, Petro, & Successoribus datam esse hanc potestatẽ, atque ideo Papam Concilio esse Superiorem: Hi verò, quibus Gerson *adhæret, totam datam esse toti Ecclesiæ licet exercendam per vnum, atque ideo in aliquot saltem casibus Concilium esse supra Papam. Quarum illa scilicet Romanorum videtur placuisse* S. Thomæ, Thomæ à Vio, *vbi altiùs omnibus, & profundiùs hoc demonstrare conatur. Altera verò placuit* Panormitano, *qui pro Parisiensibus est, quem frequentiùs nostri sequuntur, vt tradit* Decius. *Quam mordicùs tuetur* Iacobus Almainus *è Sorbono Theologus, qui respondit* Thomæ à Vio *libello iusto, &* Ioannes Maior, *qui idem facit, aiens, Romæ nemini permitti tenere Parisiensium, &* Panormitani *sententiam, nec rursus Academiam illam Parisiensem pati, vt contraria assereretur in ea.*

Et nihilominus satis constat, eosdẽ Theologos Parisienses in Ecclesiastica fidei Catholicæ, & Sacramentorũ communione

communione tunc temporis, quando inter ſe de hac re maximè dimicabant, coniunctos fuiſſe.

11 Sed multo clariùs doctiſſimus *Victoria*, tametſi alioquin S. *Thomæ* diſcipulus, & defenſor acerrimus, *de comparatione*, inquit, [x] *poteſtatis Papæ eſt duplex ſententia, altera eſt* S. Thomæ, *& ſequacium multorum, & aliorum Doctorum tam in Theologia, quàm in Iure Canonico peritorum, quòd Papa eſt ſupra Concilium; Altera, eſt communis ſententia* Pariſienſium, *& multorum etiam Doctorū in Theologia, & Canonibus*, vt Panormitani, *& aliorum contraria, quòd Concilium eſt ſupra Papam. Non eſt locus nunc diſputandi, quæ illarum ſit verior, quia de hoc non agitur. Puto vtramque eſſe probabilem.* Idem etiam tenet *Alphonſus* de *Caſtro* vir doctiſſimus, & huius ſeculi Scriptor eximius lib. 1. aduersùs hæreſes cap. 2. Vide etiam *Ioannem Viguerium* virum eruditiſſimum, Ordinis S. *Dominici*, & huius ſeculi inſignem Theologum, cap. 10. Inſtitution. Theolog. §. 3. verſ. 13. vbi docet, *Summū Pontificem, vt priuatam perſonam errare*

x *Relect. de poteſt. Papæ & Concil. propoſ.* 3.

poſſe,

posse, non autem si procedat, & pronunciet, vt Summus Pontifex. Tunc autem operatur, & pronunciat, vt Summus Pontifex, *siue vt* Papa, *quando obseruat ritum in concilijs Apostolorum, & Sanctorum Patrum definitionibus obseruari solitum: vtputa quando vocat concilium Seniorum, hoc est, Episcoporum, & instat, instareq́; facit orationibus, & inuocat Spiritum sanctum, cuius assistentia Ecclesiæ promissa est: Sedes enim Romana Concilio rite congregato directa in determinationibus fidei, & bonorum morum confirmata est, vt errare no possit. Vnde Petro, dictum est,* Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. *Ex quibus verbis apparet* Christum *non orasse pro fide* Petri, *vt priuata persona erat, cum defecerit, sed orauit pro fide* Petri, *hoc est, Ecclesiæ* Petri, *quæ est vniuersalis*, &c.

12. Quin etiam ipsemet *Bellarminus*, non satis meo quidem iudicio in hac re sibi cōstans, hanc ipsā doctrinā, de Superioritate Concilij in Summū Pontificem, esse probabilem, atque apud Catholicos controuersam, per-

spicuè

ſpicuè admodum his verbis confir-
y Lib.2.de Concil cap.13. mat, *Et quamuis poſtea in Concilio Florentino, & Lateranenſi vltimo videatur quæſtio* (de ſuperioritate Papæ in Concilium) *definita; tamen quia Florentinum Concilium non ita expreſsè hoc definiuit, & de Concilio Lateranenſi, quod expreſſiſſimè rem definiuit, nonnulli dubitant, an fuerit verè Generale, ideo vſq; ad hanc diem quæſtio ſupereſt etiam inter Catholicos.*

13. Nam tametſi *Chriſtus* Dominus pro *Petro* orauerit, *vt fides eius non deficeret*, hanc tamen *Chriſti* orationem Doctores Pariſienſes vel ad ſolum *Petrum*, & non ad eius Succeſſores pertinuiſſe affirmant, atque aiunt, *Chriſtum* Dominum pro *Petro* oraſſe, vt tametſi eum ad vocem ancillæ exterius præ timore denegaret, interiùs tamen in fide non deficeret, ſed conſtans permaneret: Vel ſi eam orationem ad eius etiam Succeſſores pertinere quis velit, eam aut de *Petro*, quà *Petrus* repræſentabat Eccleſiam, iuxta illud S. *Auguſtini*, [z] Petrus *quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam repræſentauit*: Et iterum, [a] *Quædam dicuntur,*

z Tract. 50 in Ioh. ad cap. 12.
a In Pſal. 108.

cuntur, quæ ad Apostolum Petrum pertinere videntur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in discipulos habuit, sicuti est, Tibi dabo claues, *& si qua eiusmodi*; aut de *Petro*, quà *Petrus* est Ecclesiæ caput cum cæteris omnibus eius membris, quæ Pastores Ecclesiæ simul congregati repræsentant, coniunctum, eam Christi Domini orationem intelligendam esse volunt; Ita enim Romanum Pontificem *ex Cathedra* definientem, id est, in œcumenico Episcoporum Concilio sedentem, & àliquid de fide credendum toti Ecclesiæ ex eorum consilio proponentem in fide errare non posse nullus Catholicus inficias ibit.

14. Neque *Christus* Dominus, pro *Petro* tantùm orauit, [b] *vt fides eius non deficeret*, verùm etiam pro cæteris Apostolis Patrem deprecatus est, [c] *vt illis mittteret spiritum veritatis, qui illos doceret omnem veritatẽ, & cum illis permaneret in æternum* : atque insuper ipsam Ecclesiam *columnam, & firmamentum*

b Luc. 22.

c Ioh. 14.

mentum veritatis esse S. *Paulus* affirmat, [d] quam tamen Ecclesiam absq; vllo Romano Pontifice per tres totos ferme annos permansisse historici tradunt, quo tamen tempore firmamentum veritatis esse desijsse, aut spiritum veritatis eam dereliquisse, non solùm fide Chatholica credendum non est. sed meo sane iudicio vix est credibile, si præsertim finem, cuius gratia *Christus* Dominus S. *Petrum* Ecclesiæ suæ Pastorem constituit, vt nimirum *Petrus* esset propter *Ecclesiam*, & non *Ecclesia* propter *Petrum*, diligenter consideremus.

d 1. Tim. 3.

15. Quapropter, neque hæreticũ, neque erroneum, neque temerarium temeritate opinionis (nam illam *inobedientiæ temeritatem*, quam *Andreas Duuallius* [e] excogitauit, sicut etiam temeritatem scandali, & aliorum criminũ adiungere potuisset, posito, quod ipsamet opinio, seu doctrina non sit *temeraria*, sed *probabilis*, omnino fictam, & imaginariam esse satis constat) est asserere, Romanum Pontificem, si absq; Concilio generali definiat, errare posse, quin potiùs valde temerarius

e *De suprema Rom. Pont. &c. part. 4 q. 7. in fine.*

temerarius cenſendus eſſet ille, qui tot grauiſſimos, doctiſſimos, & pijſſimos Catholicos hoc ipſum affirmantes, temeritatis labe aſpergere non pertimeſceret.

Atq; hæc Reſponſio ad Canonem illum, *Nos ſanctorum*, in Concilio Romano ab illis tantum Epiſcopis, qui partes *Gregorij* Papæ VII. contra Imperatorem fouebant, ſancitum ſufficiens eſſe poteſt.

16. Veruntamen ego alias etiam Reſponſiones in Diſputatione mea Theologica [f] ad hunc *canonem* adhibui. Et primò, cum Pontifex in illo *canone* nullam Supremorum Principum mentionem faciat (ſicut paulo ante in alio eiuſdem Concilij decreto *Reges* comprehendere volens eos ſub proprio *Regum* nomine expreſſerat) ſed verbis tantùm generalibus vtatur, *decretum* illud *Reges* & *Principes ſupremos*, qui in materia odioſa generalibus etiam *Dominorum* nominibus, vt antea [g] ex *Andræa Duuallio* obſeruaui, intelligi non ſolent, nequaquã comprehendere, ſed in Eccleſiæ tantùm territorijs, in quibus *ſupremus Dominus*

[f] *Cap. 6. ſec. 3. num. 12. & ſeq.*

[g] *In Supplicat. num. 34.*

nus eſt Summus *Pontifex*, quique pro-
proinde pœnam temporalem decernendi auctoritatem habet, cui *Principes* omnes, qui eius ſunt Vaſalli, ſubijcere poteſt, *canonem* illum vim obligandi habere.

17. *Deinde*, Canonem iſtum in probabili ad ſummum *Gregorij* Papæ VII, *qui primus omnium Romanorum Pontificum præter morem maiorum Imperatorem deponere auſus eſt*, exiſtimantis, talē ſubditos à fidelitate abſoluendi poteſtatem ſibi ex Chriſti inſtitutione competere, fundatū eſſe eo loco affirmaui. Hinc tamen certò colligi non poteſt, eum reuera talem abſoluendi ſubditos poteſtatem habuiſſe, ſed ſolùm eum exiſtimaſſe, talem abſoluendi ſubditos auctoritatem ſibi à *Christo* Domino collatam eſſe. Sicut etiam tametſi aliqui huius Seculi Pontifices ſuorū Prædeceſſorum, immò & ipſius Sancti *Gregorij* Magni [h] veſtigijs inhærentes, ſuis decretis, Breuibus, ſeu literis Apoſtolicis in corpore etiam Iuris Canonici conſignatis, ſtatuerent, quod quidam inſignioris notæ Sacerdotes, qui Epiſcopi non ſunt,

h *Lib.* 3. *epiſt.* 26. & *habetur diſt.* 95. *cau. peruenit.*

Sacra-

Sacramentum Confirmationis au-ctoritate Apostolica conficere pos-sent (vti quidam tales hisce diebus ex concessione Pontificum illud admi-nistrant) nihilominus non posset hinc certò concludi, Summum Pon-tificem tales licentias concedendi au-ctoritatem habere, cum plures Theo-logi eruditi, non obstantibus huius-modi Pontificum concessionibus, ar-bitrantur, talem authoritatem non esse Summo Pontifici a *Christo* Domino communicatam.

18. Pari ratione, quantumuis qui-dam Pontifices suorum Prædecesso-rum exempla sequuti in solenni casti-tatis voto dispensauerint, non tamen hinc firmiter deduci potest, talem au-ctoritatem Summo Pontifici ex *Christi* institutione verè concessam esse, sed ad summum hinc colligitur, Summos Pontifices existimasse, talem auctoritatem sibi a *Christo* Domino tributam esse; quod tamen nihil im-pedit, quo minùs alij Theologi, qui rationibus probabilibus permoti con-trarium sentiunt, possint has Pontifi-cum opiniones licitè reijcere, & tales

dispensationes *iuri diuino contrarias esse* cum *Maldonato*, [i] & alijs affirmare, & tuta etiam conscientia, si opus fuerit, iurare, se profiteri, testificari, credere, declarare, atque in conscientijs suis resolui, quòd talis auctoritas in solenni castitatis voto dispensandi non sit Summo Pontifici a *Christo* Domino communicata.

i *In Summula q. 12. ar 7.*

19. Veruntamen si doctissimus, ac deuotissimus *Gerson* huius fuisset opinionis, quam ipse quosdam, quos eo nomine nequaquam reprehendit, sequutos esse affirmat, * nempe *pœnam vltimam, quam potestas Ecclesiastica ex institutione* Christi *sola primaria infligere potest, esse Excommunicationem, sic quòd non extenditur ad in carcerationem nec vt aliquis adiudicetur morti vel flagello corporali, sed facit hoc Ecclesiasticus dum facit ex concessione Principum,* facillimè se ab isto canone, & alijs similibus expediuisset, ad eum modũ, quoad iura canonica, quæ decretum *Petri de Luna* dicti *Benedicti* decimi tertij de subiectione Concilij generalis ad Romanum Pontificem confirmare videntur, respondet; *Et si dicatur,*

* *De potest. Eccles. consid 4.*

catur, inquit,[k] *quòd multa iura canonica, multæ constitutiones Papales videntur sonare pro hac constitutione; Respondetur, quòd illa iura sunt reuerenter glossanda, interpretāda conformiter & ad inuariabilem legem Christi. Aut si velit aliquis illa tenere in suis terminis proteruè & rigidè, nos cum omni libertate talia scripta negabimus esse vera, & per consequens nec iura Canonica, quoniam nullum ius esse censendum est, quod diuinæ legi conuincitur contraire.*

k *In Articulis specialibus contra* Petrum de *Luna.*

20. Eodē etiam modo Respondit *Joannes Maior*,[l] quando doctrina hæc apud Catholicos magis controuersa erat: & addit; *Adducantur iura diuina, vel Sanctorum auctoritates, quibus fides adhibenda est in hac parte; propterea non mirabere, si dem in hac parte aliquas expositiones, quæ Pontificum textibus prima fronte videbuntur alienæ; Sic enim in multis materijs problematicis, cum sint rationes, vel auctoritates hinc inde apparentes, quid mirum si non semper eamus ad corticem verborum: & ad hoc quod verba prima fronte prætendunt, multi passus Pontificum dari possunt, qui omnino oppositum insinuent, ita quòd Commentatores*

l *In Comment in Mat: ca:* 18.

tores dicere ſolent, ecce argumentum, quòd Concilium ſit ſupra Papam, ſicut & è conuerſo.

21. Sed *Albericus Roxiatus* paulò liberiùs ad hunc Canonem reſponderet, ad eum modum, quo ad caput, *Ad Apoſtolicæ*, quod eſt decretũ *Innocentij* quarti præſente Concilio Lugdunenſi latum, in quo Pontifex *Fredericum* Imperatorem depoſuit, & ad quaſdam alias ſimiles Decretales reſpondet,[m] nempe *Paſtores Eccleſiæ eas condentes falcem miſiſſe in meſſem alienam, eaſq́ue, ſaluo meliori conſilio, non eſſe iuri conſonas, ſed proditas eſſe contra iura & libertatẽ Imperij.* Non omnino diſſimilem reſponſionem tametſi in caſu diſſimili affert *Iacobus Almainus* in tract. de auctoritate Eccleſiæ cap. 8. Reſpondens enim ad canonem illum Papæ *Paſchalis* in cap. ſignificaſti de electione vbi dicitur, quòd *omnia Concilia per Romanã Eccleſiæ auctoritatem robur accipiant*, ait, *omnes auctoritates, quæ regulariter adducuntur, ipſorũ eſſe Summorum Pontificum, qui* (vt in plurimum fimbrias ſuas *extendentes*) *ſibi attribuerunt quod eſt Eccleſiæ,* addi ſimiliter

m *In* Dictionario *verbo* Electio.

militer posset, *potestatis politicæ proprium.*

22. Veruntamen ego huiusmodi Responsiones nequaquam adhibui, sed Canonem illum cum omni reuerentia iuxta propriã, & vsitatam verborum significationem explicaui. Sed ea de causa has *Gersonis*, *Maioris*, *Alberici*, & *Almaini* respõsiones adduxi, vt *Sanctitas* vestra cernere possit, quid viri doctissimi ad tales canones, & Summorum Pontificum decreta, nisi vel in doctrina indubitata, & nequaquam controuersa fundentur, vel ab Ecclesia vniuersa approbentur, respondere non pertimescant.

23. Præterea, aduertat, obsecro, *Sanctitas* vestra, quàm egregiè *Doctor* iste, cæteriq; vestræ potestatis Principes deponẽdi defensores in hac quæstione grauissima tergiuersari soleant. Nam tametsi hanc suam assertionem, quam *de fide certam* esse frustra contendunt, cum hac limitatione [*saltem in causa fidei, & propter hæresim*] proponere soleant, vix tamen aliquod Summi Pontificis factum, exemplum, aut decretũ ad eam confirman-

dam proferunt, in quo Principes ob hæreſim, (cum pauciſſimi Principes ob hæreſim depoſiti fuerint,) ſed propter alia crimina ſuis Regnis priuati, & ſubditi ab eorum fidelitate per ſententiam Summi Pontificis abſoluti fuêre. Atq; ita *Doctor* iſte hunc Canonem *Nos ſanctorum* ad hanc nouam eius fidem Catholicam ſtabiliendam præ cæteris elegit, in quo *ſubditi, qui excommunicatis*, ob quodcunque crimen excommunicati fuerint, & quod mirabilius eſt, ſiue excommunicatio ab homine, ſiue a iure, ſiue a Romano Pontifice, ſiue ab inferiori Epiſcopo lata fuerit, (neque enim hæc in canone iſto diſtinguuntur) *aut ſacramento, aut fidelitate aſtricti ſunt, abſolvuntur, vt ne eis fidelitatem obſeruent, omnibus modis prohibetur.*

24 Denique illud *anathema*, quod *Doctor* iſte, qui ſuas ſententias maledictis concludere ſolet, mihi comminari nempe, *Maledictus a Deo qui exaſperat matrem, & ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*, *Bartholus* pari cum facilitate

litate Card. *Bellarmino*, qui temporalem Summi Pontificis Monarchiam impugnat, quæ eius doctrina ab Ecclesiæ, teste *Bartholo* condemnata est comminari etiam posset. Et ipsemet etiam *Bellarminus* idem prorsus maledictum in *Maldonatum* suum, aliosque viros doctissimos, qui Summorum Pontificum in solenni castitatis voto dispensationis iuri diuino contrarias esse affirmare non dubitant, totidem planè verbis conijcere posset. Sed quoniam *Doctor* iste *nouam* suam fidem Catholicam rationibus, & argumentis solidis comprobare non valet, eam minis, clamoribus, & maledictis per vim obtrudere totis viribus contendit.

Iam reliqua illa suspectæ fidei dogmata expendamus.

---

§ 8.

1. *Octauo* igitur, cum ego num. 40. & 95. meæ *Apologiæ* asseruerim, *nullam pœnam temporalem à potestate spirituali infligi posse*, quemadmodum *neque vlla pœna spiritualis infligi potest a potestate temporali*, *Doctor* iste hanc meam assertionem, quam *Iacobum Almainum*, *& plerosq; Doctores*, vt *Almainus* ait, sequutos esse ibidem commonstraui, ita refellit.

Hoc dogma astruitur ab Hæresiarcha Ioanne Caluino *disertis verbis lib. 4. Instit. cap. 11. §. 5. & contrariatur directò doctrinæ Sanctæ matris Ecclesiæ, & canonibus, tũ nouis tum antiquis, vt perspicuũ est ex* Concilio Tridentino *sess. 24. c. 8. & sess. 25 c. 3. Item* Concilio Lateranensi *generali sub* Innocentio *tertio cap. 3. & multis capitibus in tit. de hæreticis tit. de voto. tit. de homicidio & alijs, quæ infra asseruntur. Quæ decreta Ecclesiastica non nisi ab hæreticis contemnuntur.* Widdringtonus *itaque se Catholicum pronunciat, &* Caluini *Hæresiarchæ*

resiarchæ damnatam doctrinam mordicùs defendit, Catholicæ Ecclesiæ sententiam, & sacrosanctos canones reijcit. Ita *Doctor* iste pag. 6.

2 Sed *Doctor* iste nunquam me calumniandi, & Lectorem eludendi finem faciet. Nam dogma istud neq; a Sancta Matre Ecclesia, neq; ab vllo generali, aut Prouinciali Cō .ilio, aut ab vllo Sūmo Pontifice vllibi est condemnatum: Neque a *Caluino* tantùm, sed etiam (vt alios iam taceam) ab *Almaino*, & a *plærisque Doctoribus*, vt *Almainus* ait, cuius verba eo loco recensui(quæ tamen *Doctor* iste, ne Lector fraudem eius aduerteret, dolosè tacuit) est propugnatum. Veruntamen *Doctor* iste, vt Lectori terrorē incutiat, Sanctam matrem Ecclesiam, Concilia generalia, Sacrosanctos canones sæpiùs personare solet, cum tamen priuatum suum spiritum, suamque Conciliorum, sacrorumque canonum interpretationem, pro spiritu veritatis, pro doctrina Catholica, pro definitione Ecclesiastica, pro sacro sanctis Canonibus nobis obtrudat, ac si vox Ecclesiæ, doctrina Catholica,

tholica, ſenſus Conciliorum, atque ſacrorum canonum, ex vnius Card. *Bellarmini*, alteriuſue cuiuſcunque *Doctoris*, qui fallere poteſt, & falli ſenſu, ſententia, atque expoſitione dependeret.

3. Dicat enim, obſecro, *Doctor* iſte, in quo Concilio, in quo Canone, a quo Pontifice vnquam ſancitum fuerit, á *poteſtate Eccleſiaſtica*, non dico a perſonis Eccleſiaſticis, pœnam temporalem infligi, non dico imponi poſſe? Aut quis vnquam Theologus *Iacobum Almainum*, cuius ſententiam *plærique Doctores*, vt ipſe ait amplectuntur, verbis expreſſis affirmantem, *de ratione poteſtatis Laicæ eſſe, poſſe pœnam ciuilem infligere, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio &c. ſed nullam talem pœnam ex inſtitutione diuina infligere poſſe poteſtatem Eccleſiaſticam, immo nec incarcerare, vt plæriſque Doctoribus placet, ſed ad ſolam pœnam ſpiritualem extendi, vt puta Excommunicationem, reliquas autem pœnas, quibus vtitur, ex iure purè poſitiuo,* ſeu, vt *Gerſon* ait, [a] *ex Principum priuilegijs eſſe*, quis, inquam, *Almainum*, cæteroſque

a De poteſtat. Eccleſ. conſiderat. 4.

cæterosque illos *plærosque Doctores* aut hæreticos, aut suspectæ fidei *Doctores* eo nomine vnquam reputauit?

4 Sed *Doctor* iste, qui vt Lectorem faciliùs circumveniat, sententias, ac propositiones certas cum incertis, claras cum ambiguis, veras cum falsis, permiscere solet, inter *potestatem* Ecclesiasticam, & *personas* Ecclesiasticas, quæ & potestate spirituali ex *Christi* institutione, & potestate ciuili ex priuilegijs *Principum* præditæ sunt, non distinguit, neque inter *impositionem* pœnæ tēporalis per modū *directionis* seu præcepti, & *inflictionem* eiusdē per modū *coercitionis* discrimen cōstituit.

5 Quis enim dubitat, posse pastores spirituales, quà potestate spirituali prædití sunt pœnas temporales, vt ieiunia, verbera, exilia, eleemosynas, mulctasque pecuniarias in pios vsus applicandas, tam in satisfactionem, quâm ad emendationem delictorum per modum *directionis*, seu præcepti iniungere, atque etiam posse eos, quà temporalem potestatem ex priuilegijs, & ex expressa, aut tacita Principum concessione sibi communicatam

nicatam habent, eaſdem pœnas per modum coercitionis infligere? Atque hæc duo duntaxat, & nihil aliud omnia Summorum Pontificum, & Conciliorum, ſiue *Tridentini*, ſiue *Lateranenſis*, ſiue cuiuſcunque alterius canones, & decreta, vrgeat ea *Doctor* iſte quantum poterit, comprobare valent.

6 Sed tota difficultas eſt, quam auctoritatem Paſtores Eccleſiæ ex *Christi* inſtitutione habeant, ſeu quod in idem recidit, ad quid ipſa *poteſtas* Eccleſiaſtica, non dico *perſonæ* Eccleſiaſticæ, quæ & ſpirituali, & tẽporali poteſtate, vt diximus, ſunt præditæ, extendatur; Vtrùm ſcilicet, ſi filij ſpirituales Paſtorum ſpiritualium præcepta adimplere neglexerint, neque in exilium pergere, eleemoſynas tribuere, bona ſua in pios vſus diſtribuere voluerint, provt Paſtor ſpiritualis illis iniunxit, & ipſimet fortaſſe etiam polliciti ſunt, vtrùm, inquã, in his caſibus, Paſtor ſpiritualis, quâ talis, ſeu quà ſpirituali poteſtate præditus eſt, illis cibum, aut potũ adimendi, eos proprijs manibus verberandi, è Regno aut

ciuitate

ciuitate per vim extrudendi, bonisque suis dispoliandi, eaque pauperibus, aut pijs locis elargiendi, & deniq; pœnis quibuscunque temporalibus eos coercendi potestatem habeat; vel vtrùm Censuris tantùm Ecclesiasticis eos ad præcepta sua adimplenda constringere possit. Hic punctus, hic cardo, hic totius controuersiæ nervus est.

7 *Ioannes* enim *Parisiensis*, [b] & quidam alij apud *Gersonem*, [c] *Iacobus Almainus*, [d] & *plerique*, vt ipse ait, *Doctores*, (vt cæteros omnes a me supra [e] relatos, qui potestatem Summi Pontificis Principes deponendi, eosq; pœnis temporalibus coercitiuè castigandi negant, nunc taceam) hoc postremum defendunt, quos propterea non esse suspectæ fidei Theologos aduersus *Doctorem* istum iam contendo, quin potius *Doctorem* istum, qui tam grauem calumniam illis imponere non veretur, à magna perniciosæ temeritatis nota excusari non posse confidenter affirmo.

b *De potest. Reg. & Pap. cap. 14 ad. 20.*
c *De post. potest. Eccle sill. consid. 4.*
d *De Domino nat. ciuili & Ecclesi. inprobat. 2æ. conclus.*
e *In supplicat. nu. 28.*

8. Nec denique verum est, me Ecclesiæ Catholicæ sententiam, aut sacrosanctos canones reijcere, vt

Doctor

Doctor iſte more ſuo fraudulento, & virulento falſiſſimè concludit, nam ego Eccleſiæ Carholicæ ſententiam, & ſacroſanctos canones, cum omni, qua par eſt, reuerentia veneror, colo, amplector, ſed iſtius *Doctoris* ſententiam, ſuamque ſacrorum canonum expoſitionem, tanquam diuinum aliquod oraculum, cui falſum ſubeſſe nequit, ſtomachetur ideo quantum voluerit, nequaquam admitto.

9. Sed quoniam *Doctor* iſte ſacroſanctos canones crebro conclamitat, eorumque contemptum mihi ſæpiùs exprobrare non dubitat, nec tamen viam, qua ſacri canones à non ſacris dinſtinguendi ſunt, Lectori oſtendit, ſed cum in tenebris ambulare gratum habere videatur, vt Lector clariùs intelligat, quinam canones *ſacri* ſint, & quos nemo Catholicus reijcere poteſt, & quinam *non ſacri* ſint, & quibus repugnare licet, (neque enim eo ipſo quòd *canon* aliquis in corpore Iuris Canonici regiſtratus ſit protinus *ſacroſanctum Canonem* cenſendum eſſe omnes eruditi norunt) nonnulla ex ijs quæ [f] alibi aduersùs quoſdam, qui *ſacros*

[f] *In Diſput. Theol. cap. 6. ſect. 3. num. 18. & ſeq.*

ſacros canones toties vociferantur, & me tanquam *ſacrorum canonum* violatorem, (cum tamen ipſi fortaſſe *ſacros* canones à *non ſacris* diſcernere neſciant) calumniantur, obſeruaui, hic denuò annotare non abs re eſſe cenſeo.

10. Atque imprimis definitiones Conciliorum generalium, quæ legitimè vocata ſunt, & à Summo Pontifice confirmata, in quibus doctrina aliqua, vt de fide ab omnibus credenda, toti Eccleſiæ proponitur, tanquam ſacroſanctos canones, & infallibiles fidei regulas, & quibus nulli Catholico repugnare licet, omnibus Catholicis accipiendas conſtanter profitemur, non tamen omnes Catholicorum Doctorum, qui hunc vel illum alicuius Concilij ſenſum eſſe contendunt, expoſitiones in ſacris Canonibus, & quibus repugnare non licet annumerandas eſſe audacter affirmamus.

11. Et propterea hanc cautionem eo loco adhibui, quod tametſi ego, cum Eccleſiæ Catholicæ Romanæ filium me eſſe profitear, illud omne, quod

quod Concilia generalia à Summo Pontifice approbata, quæ Ecclesiam Catholicam repræsentant, de fide necessario credendum fidelibus proponunt, & quem verum Conciliorum sensum esse certò, & euidenter constat, libentissimè amplectar, nihilominus non omni illi doctrinæ, quam vel Card *Bellarminus*, pace eius dixerim, vel alius quicunque Doctor (cum certa Catholicæ fidei regula à Deo constituti non sint) Catholicam esse, vocem Ecclesiæ esse, Scripturarum, aut Conciliorum sensum esse vociferantur, si præsertim aliqui Doctores Catholici contrarium sentiant, indubitata fide assentior. Illos quidem, vt par est, debita veneratione suspicio, ipsorumque authoritati plurimùm tribuo, sed quòd omnes illæ collectiones, quas ipsi ex Scripturis, aut sacris Concilijs euidenti ratiocinatione deduci opinantur (cum sæpe & fallantur, & fallant, & quæ iuniores scripsere seniores reuocare possint) pro indubitatis fidei dogmatibus habendæ sint, & contraria Catholicorũ opinio, non tam sententia, quàm hæ-

ræsis

resis æstimanda, istud profectò æquo animo ferre non possum.

12. *Secundò*, Conciliorum generalium canones, seu decreta, quæ ad mores, atque externum Ecclesiæ regimen spectant, si generaliter recepta fuerint, in sacrosanctis Ecclesiæ Catholicæ canonibus & decretis, quibus repugnare nisi in casibus in iure expressis, aut alias permissis nemini licet, ab omnibus Catholicis annumerandos esse nemo inficias ibit. Hæc enim propriè Catholicæ, seu vniuersalis Ecclesiæ decreta, seu canones appellantur, quæ ab vniuersa Ecclesia communiter recipiuntur. Nec quisquam procul dubio eas leges, & præcepta amplecti obligatur, quæ in loco vbi habitat, à populo non obseruantur iuxta illud *Gratiani* in corpore Iuris Canonici conscriptum, [g] *Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus vtentium approbantur*. Et hæc opinio, ait *Ioannes Azorius*, [h] cum quo *Navarrus*, [i] *Covarruvias*, [k] *Valentia*, [l] *Sayrus*, [m] *Salas*, [n] *Suarez*, [o] & alij consentiunt, *communis est Canonici, & Iuris ciuilis Interpretum, &*

g *Dist. 4. can. in istis §. Leges.*
h *Tom. 1. Instit. lib. 5. cap. 4.*
i *In Enchirid. cap. 23. num. 41.*
k *Lib. 2. var. resol. c. 16. n. 6.*
l *Tom. 2. disp. 7. q. 5. punc. 5. q. 4.*
m *Lib. 3. Thesauri cap. 5. num. 24.*
n *Disp. 13. de Leg. Sec. 1.*
o *Lib. 4. de Leg. cap. 16. concl. 3.*

Iuri Canonico, & ciuili conſentanea, nempe legem tam Eccleſiaſticam, quàm ciuilem vſu non receptam vi carere, quamuis ſit authoritate Principis conſtituta, & legitimè promulgata.

13. *Tertiò*, decreta, ſeu canones Summorum Pontificum, de quibus potiſſimùm difficultas eſt, in triplici ſunt differentia, quædam conſtitutiua ſunt, quædam declaratiua, quædam, quæ neque propriè declaratiua, neque conſtitutiua ſunt, ſed aliquid de vtriſq; participant.

Conſtitutiua ſunt, quæ ex ſe nouam obligationem inducunt, neque rem, quam præcipiunt, aut prohibent, priori aliqua lege præceptam, aut prohibi tam eſſe ſupponunt, vt ſunt decreta de carnibus certis diebus non comedendis, de operibus ſeruilibus in Dominicis, alijſque diebus feſtis non faciendis, de Sacro ijſdem diebus audiendo, de ſacro non celebrando coram excommunicatis, aut ſine veſtibus ſacris, de libris, abſque expreſſa eaque in ſcriptis habita Ordinarij licentia, non imprimendis, &

quibuſdam

quibuſdam libris, qui alioqui licitè legi poſſent, abſque ſimili licentia non legendis, & eiuſmodi: Atque hæc decreta, ſeu canones in locis vbi recepta ſunt, decreta, ſeu canones *ſacri*, quibus vt plurimùm repugnare non licet, rectiſſimè appellantur.

13. Dixi, *vt plurimùm*, quia nullam legem, ſeu conſtitutionem humanam in neceſſitate extrema, ſeu quando mortis, mutilationis, grauis infamiæ, magnæque bonorum iacturæ periculum imminet, obligare communis eſt Theologorum opinio, vt tradit *Salas* diſp. 11. de Legibus Sect. 1. cum præſertim lex diuina poſitiua non obliget communiter cum tali periculo. vt patet in *Dauide*, qui in neceſſitate comedit panes propoſitionis, [p] quos laici iuxta legem [q] non poterant manducare, quod factum defendit *Christus* Math. 12. eodem modo excuſans diſcipulos, qui ſpicas Sabbato colligebant, & eum, qui Sabbato bouem, aut aſinum è fouea extraheret. Similiter *Machabæi* ſine peccato contra hoſtes in Sabbato pugnabant. Neq; tenetur quis Baptiſmum, ait *Sayrus* [r], aut

p 1. Reg. 20.
q Num. 18.
r *Loco citato.*

aut alia Sacramenta cum periculo mortis suscipere. Quin etiam fas est propter vitæ periculum, aut etiam infamiam, quæ inde complici in crimine prouenire potest, aliquod peccatum in confessione Sacramentali cælare, neque tunc erit confessio dimidiata formaliter, sed tantùm materialiter, vt Theologi exponunt.

14. *Declaratiui* canones, seu decreta sunt, quæ nullam obligationem ex se inducunt, sed priorem legem, & obligationem tantummodo supponunt, atque declarant; Atq; hæc decreta, eadem certitudine, aut probabilitate, *sacra* aut *non sacra* censenda sunt, qua certum, aut probabile est, talem legem, & obligationem, quam decretum declaratiuum supponit, & declarat, revera præcessisse. Huius generis sunt literæ vestræ *Apostolicæ* ad Anglos Catholicos directæ, in quibus *Sanctitas* vestra declarat, Iuramentum fidelitatis recēns hîc in Anglia stabilitum, illicitum esse, eò quod multa contineat, quæ fidei, & saluti, apertè aduersentur: Nam eadem certitudine, aut probabilitate decretum

illud

illud *ſacrum*, aut *non ſacrum* eſſe credendum eſt, qua certũ, aut incertum eſt, aliqua in prædicto iuramento, quæ fidei & ſaluti repugnant, ſicut *Sanctitas* veſtra declarauit, contineri.

15. Atque hæc decreta, ſeu decretales Summorum Pontificum literæ in triplici ſunt differentia. Nam *primò*, quædam ſunt, quæ in doctrina erronea, aat falſa fundantur, & hæc decreta non *ſacra*, ſed *ſacrilega* cenſenda ſunt, illiſque repugnare quilibet Catholicus & licitè poteſt, atq; etiam tenetur.

Huius generis eſt *canon* ille *Cæleſtini* tertij, qui olim in corpore Iuris Canonici extabat, in quo *Cæleſtinus* decreuit & iuxta *Alphonſum* de Caſtro, [t] etiã vt Papa declarauit, *per hæreſim* ita Matrimoniũ diſſolui, vt liceat ei aliud coniugiũ inire, cuius prior coniux in hæreſim lapſus eſt; qui *Canon*, cũ in doctrina falſa, & iam in *Concilio Tridentino* [u] apertè condemnata fundatus ſit, non in *ſacris*, ſed potiùs in *ſacrilegis canonibus* annumerandus eſt.

Eiudem generis eſt *canon* ille *Nicolai* Papæ primi, qui decreuit, [x] eos,

ſ *In cap. Laudabilem de conuerſ. coniug.*

t *Lib. 1. de hæreſibus cap. 4.*

u *Seſſ. 24. de Reform. can. 5.*

x *Can. A quodã Iudæo de conſecrat. diſt. 4. cap. 24.*

qui in *Christi* tantùm nomine bapti-
zati sunt, non esse denuo baptizandos, qui *canon*, cum in doctrina quam
x *Lib.* 4. *de Rom. Pont. cap.* 12. Card *Bellarminus* y falsam esse affirmare non dubitat, nempe, Baptismũ in nomine tantùm *Christi* collatum absq; expressione trium personarum, validum esse, fundatus sit, inter *sacros canones* non est recensendus.

16. Atque in istorum numero collocandum esse censeo alium etiã *canonem Vrbani* secundi in cap. Excommunicatorum, 23. q. 5. in quo Pontifex se *arbitrari* affirmat, *eos non esse homicidas, quos aduersus excommunicatos zelo Catholicæ matris ardentes, aliquos eorum trucidasse contigerit*; quæ etiam *Vrbani* verba Card. *Baronius* in
z *Tom.* 11. *ann.* 1089. *num.* 11. suis Annalibus Ecclesiasticis z absque aliqua eorum explicatione referre non dubitauit: qui *Canon*, si in eo sensu quo verba sonant, intelligantur, cum in doctrina falsissima, & meo iudicio aperte hæretica & notissimis Catholicæ fidei principijs, quæ quamlibet occisionem, etiam Tyranni manifesti tametsi ob zelum, finemque bonum factam, improbant,

repugnante

repugnante fundetur, non *ſacri*, ſed *ſacrilegi*, & pernicioſiſſimi *canonis* nomine inſigniri meretur. Et quantumuis *canon* ille de illis tantùm excommunicatis, qui & auctoritate ſpirituali, a communione Eccleſiaſtica, & auctoritate ciuili a communione politica ſeparantur, & proſcripti ſunt, ita vt cuiuis illos occidendi poteſtas à *Principe* politico concedatur, intelligi poſſit, donec tamen hæc, vel ſimilis benigna interpretatio ad intelligentiam huius *canonis* à Summo Pontifice adhibeatur, cum interim ad infinita homicidia, ac etiam paricidia perpetranda viris zelo Catholicæ matris ardẽtibus cauſã præbere poſſit, & vtinam non præbuerit, inter omniũ *Canonũ* perniciociſiſſimos, & maximè ſacrilegos recenſendum eſſe cenſeo.

17. *Secùndò*, quædam ſunt decreta ſeu *canones* declaratiui, quæ in doctrina ad ſummum probabili fundantur, atque hæc decreta non magis *ſacra* ſunt, neq; magis obligant, quàm doctrina ipſa cui innituntur *ſacra* ſit, & ad eam ſequendam fideles obligare queat. Huius generis eſt decretum,

quo *Sanctitas* vestra Iuramenti susceptionem prohibet, eo quòd multa in se contineat, quæ fidei, & saluti apertè aduersantur, quæ prohibitio, si in ea doctrina seu opinione, quam Card. *Bellarminus*, & quidam alij approbant, fundetur, nempe quod potestas excommunicandi, ligandi, & soluendi, iuramenta relaxandi, in hoc iuramento abiuretur, & Primatus regius in spiritualibus agnoscatur, & quædam alia, quę ego in *Disputatione* mea Theologica retuli & confutaui, ad decreta primi generis reuocari debet, cum clarum sit, & apertum, nihil tale in Iuramento contineri. Si autem hęc prohibitio huic doctrinæ innitatur, quòd penes Pontificem sit potestas Principes deponendi, & subditos ab eorum fidelitate absoluendi, non magis *sacra* dicenda est, neque magis obligat, quàm ipsa doctrina speculatiua, quam supponit, quæ cum probabilis ad summum sit, neminem ad eam sequendam obligare potest. Dixi, *doctrina speculatiua*, nam ipsam *praxim*, quamdiu *doctrina speculatiua* apud Catholicos controuersa est, omnino

illicitam

illicitam esse, & ab omnibus Catholicis, quamcunque opinionem *speculatiuè* tueantur, improbandam, vt sæpe affirmauimus, igenuè profitemur.

18. *Tertiò*, alia sunt decreta, seu *canones* declaratiui, quæ in doctrina aliqua certa, indubitata, neque apud Catholicos controuersa fundantur; atque hæc decreta procul dubio *sacra* sunt, neque illis repugnare vlli Catholico licet. Huiusmodi sunt decreta illa, quæ furta, adulteria, homicidia, & similia crimina prohibent, quæ illicita esse omnes Catholici profitentur. An verò illa decreta, in quibus Summus *Pontifex* absque Concilio generali aliquid ex *Cathedra* definit, id est, toti Ecclesiæ necessariò credendum proponit, ac præcipit, de quo inter Catholicos erat antea controuersum, *sacra* sint, an non, inter *Romanos*, & *Parisienses* Theologos plurimùm disceptatur, & propterea talia decreta, quamdiu certant Theologi, an *Pontifex* talem definiendi potestatem habeat, quiuis Catholicus absq; fidei Catholicæ abnegandæ periculo improbare potest. Nihilominus, vt

sæpiùs

ſæpius diximus, nullus Romanus *Pontifex* vnquam ex *Cathedra* definiuit, penes eum eſſe poteſtatem *Principes* deponendi, & ſubditos à temporali ſua fidelitate abſoluendi.

19. *Poſtremò*, tertij generis decreta, tametſi propriè neq; conſtitutiua, neque declaratiua decreta ſint, cum nihil præcipiant, aut prohibeant, vel aliàs præceptum aut prohibitum eſſe declarent, doctrinam tamen, aut certam, aut incertam ſupponunt, quòd in Pontifice ſit vera poteſtas ita decernendi. Huius generis ſunt decreta illa, in quibus Summus *Pontifex* quędam priuilegia concedit, de quibus aut certò conſtat, aut dubitatur, an talia concedendi poteſtatem habeat. Item decreta, in quibus *Pontifex* in votis diſpenſat, aut alteri facultatem in eis diſpenſandi concedit. Nam hæc decreta, ſi de voto ſolenni loquamur, cum incertum ſit, an *Pontifex* talem diſpenſandi poteſtatem habeat, incertum etiam erit an talia decreta, *ſacra*, vel *non ſacra* dici debeant, & conſequenter nemo talia decreta, tanquam *ſacra* approbare tenetur. E-

iuſdem

iuſdem etiam generis ſunt decreta, in quibus Pontifex Principes ſupremos ſuis Regnis, ac Dominijs priuat, & ſubditos ab eorum fidelitate abſoluit. Cum enim ſaltem incertum ſit, ſi *de doctrina ſpeculatiua* loquamur, penes Summum *Pontificem* talem eſſe poteſtatem, incertum etiam erit, an tàlia decreta *ſacra*, vel non *ſacra* dici debeant, & conſequenter nemo talia decreta tanquam *ſacra* approbare tenetur. Dixi, *ſi de doctrina ſpeculatiua loquamur*, nam ſi doctrinam *ſpeculatiuam* ad *praxim* reducere uelimus, talia decreta, quæ *praxim* imperant, cum doctrinam planè falſam, & meo iudicio improbabilem ſupponant, nempe, poſſe aliquem lite pendente è re illa, quam legitimè poſſidet, inuitum deturbari, non *ſacra*, ſed *prophana* decreta eſſe, & ab omnibus Catholicis improbanda confidenter affirmo.

Atque ex his cuiuis vel mediocriter erudito facillimum erit iudicare, quinam canones, ſeu decreta Summorum Pontificum *ſacri* cenſendi ſint, illiſque repugnare non liceat, quinam

nam *non sacri*, & quæ approbare Catholici non teneantur, & qui demum *prophani & sacrilegi*, & quæ improbare omnes debeant.

---

§ 9.

1. NOno, *Doctor* iste ait, me num. 60. & sequentibus, & alibi asserere, *Christiano populo, etiamsi vires adsunt, fas non esse debellare Principes infideles Ecclesiam persequentes.*

Hanc assertionem, ait *Doctor* iste, *docuit Hæresiarcha* Martinus Lutherus, *cum scripsit, non esse pugnandum contra Turcas, & repugnat omnibus principibus testamenti veteris, & noui, qui aduersus persequutores Religionis gloriossimè bella gesserunt.*

2 Sed quis effrænatam istius *Doctoris* calumnandi licentiam non obstupescat, qui in re tam graui, & verba, & mentem Aduersarij, vt eum *hæreseos accuset*, & *omnino reum peragat*, peruertere

peruertere non erubeſcit? Neq; enim vnquam vel per ſomnium mihi venit in mentem, non licere Chriſtianis Principibus Turcas, ſimileſque Religionis Chriſtianæ perſequutores armis debellare. Verba enim mea ſolùm de Paſtore ſpirituali, quà paſtor ſpiritualis eſt, & de ſubditis Chriſtianis, ſeu de populo ſubiecto apertiſſimè loquuntur, & *Doctor* iſte, proh pudor, ea ad Principes Chriſtianos transfert: *Repugnat*, inquit, *omnibus ſanctis Principibus teſtamenti veteris, & noni, qui aduerſùs perſequutores Religionis glorioſiſſimè bella geſſerunt.* Verba mea hæc ſunt.

3 Quartum argumentum ſumi-
" tur ex praxi totius Eccleſiæ ab ipſis
" primordijs per multa deinceps ſe-
" cula: Nuſquam enim in Scriptura
" ſacra, vel apud antiquos Patres vlla
" fit mentio de poteſtate vel Pontifi-
" cis, vel populi Chriſtiani Principes
" Eccleſiâ perſequentes aut occiden-
" di, aut principatu priuandi; ſed ad
" crucem *Chriſti* tollendam, & perſe-
" quutiones pro fide *Chriſti* toleran-
" das, atq; ad obedientiam Principi-
" bus

" bus etiam infidelibus exhibendam
" tum Christus ipse, tum Apostoli,
" tũ Sancti Patres vnanimi consensu
" Christianos passim adhortantur; at
" si vel Summus Pontifex, vel populus
" Christianus aliquo legis Euangeli-
" cæ præcepto tenerentur, quando
" vires illis suppetunt, Principes Ec-
" clesiam deuastantes è principatu
" eijcere, profectò de tali præcepto,
" quod tanti ponderis est, aut *Christus*
" ipse, aut Apostoli, aut aliqui saltem
" ex Sanctis Patribus Ecclesiæ primi-
" tiuæ, quorum plurimi singulari tam
" doctrina, quàm zelo sunt præditi,
" pro debito suo officio Pastorali fi-
" delem populum instituissent, neque
" verisimile est, voluisse *Christum* im-
" ponere fidelibus necessitatem Prin-
" cipibus, qui tunc Ecclesiam perse-
" quebantur, tributa pro temporali
" principatu illis debita soluendi, &
" necessitatem, qua Christiani obli-
" gantur, ad auferendum a Principi-
" bus principatum, si vires adsint, ta-
" cere voluisse.

4 Quis iam *Doctor* Christianæ charitatis, iustitiæ, verecundiæ leges
non

non ignorans, hæc mea verba, quæ tantùm de auctoritate vel pastorum spiritualium, quà tales, vel subditorum fidelium. Principes suos infideles Ecclesiam persequentes aut occidendi, aut è principatu pellendi apertè loquuntur, vt me *hæreseωs* omnino reum peragat, ad auctoritatem Principum Christianorum Turcas, aliosue Principes infideles Ecclesiã persequentes debellandi transferre voluisset?

Quare mirum non est, quòd libri mei prohibiti fuerint, si tam iniquos, tamq; inuerecundos & mentis meæ, & verborum meorum deprauatores habuerint, qui eorum Censores sunt, atque de ijs sententiam ferre, & simul Testes, & Accusatores esse velint. *Sed mea est vltio*, ait supremus omnium Iudex * *& ego retribuam eis in tempore.* * Deuteron. 32.

§. 10.

10. §.

a Pag. 7.

1 DEcimò, *Doctor* iste ait, [a] me num. 70. & alibi sæpe admittere, Episcopum iudicari posse a Principe politico in rebus politicis.

Hæc assertio, ait, *Doctor* iste, *contrariatur doctrinæ Eccesiæ Catholicæ in Concilio Constantiensi sess. 31. & Lateranensi sub Leone decimo sess. 9. vbi sic legimus. A iure tam diuino, quàm humano Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa est.*

2 Verumtamen stupenda huius *Doctoris* inuerecundia me planè stupefactum reddit. Nam si hæc assertio eo modo, quo eam proposui, quem modum *Doctor* iste perperam dissimulat) *contrariatur*, vt ipse ait, *doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ*, profectò communem Theologorum sententiam, quam olim etiam Card. *Bellarminus* sequutus est, [b] tametsi eam absq; sufficienti

b *In prioribus librorum suorũ Editionibus. lib. 1. de Clericis cap. 28. p. opositio 5.*

sufficienti ratione, vt alias [c] ostendi, iam retractauerit (vt mirum sit quòd *Doctor* iste talem, tantumque virum, qualis est Card. *Bellarminus*, sanctitate, ac eruditione illustrissimus, atque huic etiam *Doctori* amicissimus, assertionem aliquam, quæ *contrariatur doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ* per tam multos simul annos propugnasse, affirmare ausus fuerit) etiã doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ contrariam esse nimis manifestum est, quod quàm summè *temerarium* sit asserere satis constat, neque *Doctorem* istum, nisi immoderata calumniandi libido densam mentis suæ oculis caliginem offudisset, latere vtique potuisset. Ita enim eo loco scripsi.

c *In Confutatione Thom. Fitzherberti part. 2. cap.*

3. Et certe si à iure Ecclesiastico, "& priuilegijs Principum abstrahamus, non videtur negari posse, quin "Prælati inferiores, vt Episcopi, "possint à supremis Principibus, "quibus ciuiliter subiecti sunt, in "causis ciuilibus iudicari, si vera sit "opinio communis Theologorum, "quam olim expressimis verbis ap-"probauit Card. *Bellarminus* in prio-

G "ribus

"ribus operum suorum editionibus, "qui asserit, *exemptionem Clericorum* "*in rebus politicis a Secularium Prin-* "*cipũ potestate iure humano introductã* "*esse nõ diuino*. Et propterea idem *Bellarminus* alibi docuit, [d] S. *Paulum tam de iure, quàm de facto Cæsari subiectum fuisse, & legem Christianam neminem priuare suo iure, & dominio.* [e]

d *Lib. 2. de Rõ. pont. cap.* 29.

e *Lib.* 5. *de Rom. pont cap* 3.

4 Hæc est assertio mea, quum non ego tantùm, sed omnes communiter Scholastici, siue Iesuitæ, siue alij, qui a temporibus Concilij, *Constantiensis*, & *Lateranensis* vltimi floruerunt, (vt antiquos Ecclesiæ Patres a me alibi [f] relatos nunc taceam (vnanimiter defendunt; vt *Caietanus*, qui tempore Concilij Lateranensis floruit, *Sotus*, *Ledesmius*, *Victoria*, *Bannes*, *Ioannes Medina*, *Salon*, *Nauarrus*, *Couaruuias*, *Gregorius* de Valentia, *Ludouicus Molina*, *Lessius*, *Ioannes Salas*, quos omnes, & plures alios *Salas* [g] recenset, atque olim etiam ipsemet Card. *Bellarminus*, tametsi iam relictis *Scholasticis*, & Societatis suæ *Theologis* ad *Canonistas* nulla sufficienti, vt alibi [h] monstraui, ratione motus confugerit. Quam

f *In Apologia a num.* 5. *& in Confutat Tho. fitzherbti. part.* 2. *cap. & infra* §. 17. *num.* 14

g *Disput.* 14. *de legib. sect.* 11.

h *In Confut Tho. Fitzherb. loco iam citato.*

Quàm ingens ergo temeritas hæc est, concordem Theologorũ doctrinam, tanquam Ecclesiæ Catholicæ doctrinæ contrariam condemnare? vt mirum non sit, quod *Doctor* iste me tanquam de hæresi suspectum, quin & hæreseωs omnino reum reprehendat, cum vniuersos ferme, & antiquiores, & recentiores Scholasticos (vt de Sanctis Patribus nihil dicam) quin etiam Soci tatis Iesu Theologos tanquam dogma hæreticum, & doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ contrariũ propugnantes traducere non erubescat. Audi enim quid scribat *Alphonsus Salmeron* vnus è decem primis *Iesuitis* Disp.4. ad Rom. 13. *Potestas*, inquit, *Ethnici principatus nondum Ecclesiæ incorporata subditos habet omnes, qui ad eam rempublicam, cui præsident, tanquam membra pertinent, siue Ethnici, siue Christiani, siue Laici, siue Clerici, siue Episcopi, siue Apostoli, & hoc ex iure naturæ; vt modo Turcarum Princeps super Christianos, & Episcopos est, qui in suis locis resident.* Et paulo supra affirmat, S. *Petrũ subesse Principibus in ciuilibus, antequã in Ecclesiã intrarent.*

5 Ad illud autem Concilij *Lateranensis*, & *Bonifacij* Papæ Octaui, qui similia verba habet, nempe, *Cùm clerici iure diuino, & humano sint exempti*, & similia, respondent Theologi, & particulatim *Valentia*, talia verba in hoc sensu intelligenda esse, quòd *Dei nutu, & conuenienter, atque conformiter iuri diuino Clerici per sanctiones Ecclesiasticas, & Principum priuilegia exempti sint; quatenus iure diuino sunt alijs in spiritualibus rebus præpositi, propter quod decet, vt eximantur potestate Seculari, idque iuxta exemplũ etiam* Iosephi, *qui instinctu diuino Sacerdotes voluit liberos esse.*

6 Addit secundò *Valentia*, fortè *Bonifaciũ fuisse in illa Canonistarũ opinione, nihil in ea re definientẽ, sed obiter inquientem; Cum clerici iure diuino & humano sint exempti, sic enim loquitur.* Eodem modo loquitur *Leo* decimus in illa Reformationis Bulla, *Cum a iure tam diuino, quàm humano Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, innouamus omnes, & singulas Constitutiones* fœl. record. *Bonifacij* Papæ Octaui &c. Hæc enim sunt illius verba,

ba. Sed *Doctor* iſte optimè ſciens, rationes, quæ in Concilijs adducuntur, non eſſe de fide, *in quibus*, ait *Canus*, *Pontifices quandoque falluntur*, *ſed tantum ipſa nuda decreta*, *& ea non omnia*, *ſed tantùm ea quæ proponuntur tanquā de fide*, vt ipſemet *Bellarminus* docuit, [l] illam particulam [*Cum*] quæ clarè oſtēdit, Pontificē nihil de hac re ibi definiuiſſe, ſed illis verbis rationem tantùm ſui decreti aſſignaſſe, doloſè prætermiſit, & prædicta Pontificis verba ita refert, ac ſi ipſe definiendo ſententiam illam pronunciaſſet.

k *Lib.6.de locis cap.8.*

l *Lib.2.de concil.cap.12. ad 4.*

7 Denique, vt alias ſolutiones nunc taceam, Concilium *Conſtantienſe* nihil planè circa exemptionem Clericorum ſtatuit, ſed ſolùm exemptos eſſe præſupponit, ſed an iure diuino, vel humano Concilium non loquitur. *Concilij* autem *Lateranenſis* auctoritatem, quàmuis rem clarè definiuiſſet, ipſemet Card. *Bellarminus* ſufficienter euertit, dum ad aliud illius *Concilij* decretum ita reſpondet. [m] *Et tametſi Concilium Lateranenſe expreſſimè rem definiuit*, *tamen quia nonnulli dubitant an vere fuerit generale*

m *Lib.2.de Concil.cap.13.*

nerale, ideo vsque adhunc diem, quæstio superest etiam inter Catholicos.

---

§. 11.

1 V*Ndecimo, Doctor* iste ait, *me* num. 93. & num. 154. *scribere, iniustam administrationem spiritualium ad tribunal Principis temporalis pertinere.*

a Pag. 7. *At quid*, inquit,[a] *hoc est aliud, quàm Principem temporalem facere Iudicem rerum spiritualium, ac per hoc Principẽ politicum facere verè caput Ecclesiæ? Atqui hanc hæresim in Anglia nuper exortam Catholica Ecclesia semper exhor-*

b Pag. 208. *ruit.* Et infra[b], in feruore spiritus sui, à Deo, an aliunde procedentis ipsemet viderit, *doctrinam hanc planè intolerabilem esse, nec ab homine prodire posse, nisi in reprobum sensum dato* affirmare non dubitat.

2. Sed quis intolerabilem istius Doctoris maledicentiã æquo animo ferre potest, qui vt Aduersario fidem detrahat, & falsum *hæreseos* crimen illi intendat, tam falsa, tam calumniosa, atque à Christiana, Doctoris

præsertim

præſertim Theologi, & Sacerdotis venerandi modeſtia penitus aliena effutire non reformidat. Fallit procul dubio ſeipſum *Doctor* iſte, neq; enim huiuſmodi contumeliæ cauſam ſuam iuuant, ſed nocent, & apud viros prudentes ſuſpectam reddunt, neq; honorem illi, ſed dedecus afferunt, niſi rem tam grauẽ, non tam rationibus, quàm maledictis agere gloriæ ducat.

3. Atque imprimis *Doctor* iſte, vt huic eius calumniæ aliquod probabilitatis ſpecimen daret, duplici, in prædicta mea aſſertione proponenda, fraude vſus eſt. Neque enim ego hanc aſſertionem, quòd *iniuſta adminiſtratio ſpiritualium ad forum Principis temporalis pertineat*, ita abſolutè, vt *Doctor* iſte refert, ſed cum duabus limitationibus, quæ aſſertionem ipſã quàm maximè illuſtrant, & quas *Doctor* iſte ſciens prætermiſit, poſui.

4. Prima hæc erat, *ſi naturas poteſtatis Eccleſiaſtica, & ciuilis conſideremus, abſtrahendo* ſcilicet *ab Eccleſiaſticis ſanctionibus, & Principum priuilegijs:*

quam limitationem idcirco appoſui, vt Lector veram vtriuſque poteſtatis naturam, & proprietates verè dignoſceret: Neque enim mihi inſtitutum erat ſingula priuilegia, quæ vel Sacri canones, vel Principum Chriſtianorum decreta circa perſonas, aut bona Eccleſiaſticorum piè ordinauerunt, tunc examinare.

5. Altera limitatio erat, quod iniuſta ſpiritualium adminiſtratio non abſolutè, quatenus crimina ſpiritualia ſunt, ſed quatenus pacem publicam iniurioſè perturbant, & ſeditiones ac tumultus in Republica excitant, qua ratione naturas criminum ciuilium ſortiuntur, ad tribunal Principis politici cum prædicta limitatione, [*ſi naturas poteſtatis Eccleſiaſticæ & ciuilis conſideremus*] pertineat. Atque vt *Sanctitas* veſtra, hæc quæ aſſerui, veriſſima eſſe perſpiciat, illam meam, quam poſui, aſſertionem ad verbum referam. Ita ergo ſcripſi.

6. Cum igitur finis poteſtatis po-
" liticæ ſit pax publica,& Eccleſiaſti-
" cæ ſalus animarũ,vt ſæpiùs diximus
" ex Card. *Bellarmino*, & plærunq;
" contingat,

"contingat, eandem numero actio-
"nem, exempli cauſa peierandi, tum
"quieti publicæ, tum animarum ſa-
"luti detrimento eſſe, fit, vt quatenus
"peccatum eſt, ſeu offenſa Dei, vt fi-
"nis ſaltem ſupernaturalis, & ſaluti
"ſpirituali nocet, poteſtati Eccleſi-
"aſticæ ſubiaceat, & ab ea iudicari,
"& caſtigari oporteat, vt vero pacis
"publicæ eſt violatio, poteſtati poli-
"ticæ ſubijciatur, & ab ea iudicari,
"ac puniri debeat. Ex qua doctrina
"ſequitur, quòd quemadmodum
"Princeps politicus in rebus, quæ
"ad animæ ſalutem pertinent, à
"Principe ſpirituali dirigi, iudicari,
"atque puniri debet, ita Princeps ſpi-
"ritualis (ſi rerum naturas inſpicia-
"mus) eſt in ijs, quæ ad pacem pub-
"licam ſpectant, à Principe politico
"dirigendus, iudicandus, atque ca-
"ſtigandus.

7. Quinimo ſicut adminiſtratio
"temporalium in ordine ad bonum
"ſpirituale, id eſt, quatenus ſpiritua-
"li ſaluti aduerſatur, qua ratione na-
"turam criminis ſpiritualis induit,
"ad forum Principis Eccleſiaſtici
"ſpectat,

"spectat, in quo corrigi, & iudicari "debet, ita iniusta spiritualium ad- "ministratio, veluti Excommunica- "tio Principis notoriè iniusta, aut "Interdictum Regni manifestè ini- "quum ab Episcopo, qui tali Princi- "pi ciuiliter subijcitur, latum, qua- "tenus pacem publicam perturbat, "& seditiones, ac tumultus in Re- "publica excitat, qua ratione natu- "ram criminis politici sortitur, ad "tribunal Principis politici pertinere "videtur. Et propterea, si ipse etiam "Summus Pontifex, qui nullum Su- "periorem in rebus temporalibus re- "cognoscit, per Excommunicatio- "nes, aut alias Censuras manifestè "iniustas, Reipublicæ politicæ pa- "cem temporalem perturbaret, pos- "set Princeps politicus iniuriam illa- "tam vijs licitis, atque intra fines "potestatis politicæ comprehensis "propulsare, & Principem Ecclesi- "asticum vi, & armis constringere, "vt per illicitas actiones spirituales à "Reipublicæ suæ tranquillitate tur- "banda desistat.

8. Neque videtur posse aliqua esse

“ eſſe controuerſia (ſi naturas pote-
“ ſtatis Eccleſiaſticæ, & ciuilis con-
“ ſideremus) quin ſicut Reſpublica
“ Eccleſiaſtica poteſt quaſcunq; op-
“ preſſiones, ſibi à Republica politica
“ factas, quæ bono ſpirituali obſi-
“ ſtunt, propulſare, ita etiam penes
“ Rempub. politicam ſit poteſtas
“ ſuis ciuibus, eorumque tranquilli-
“ tati temporali conſulendi, atque à
“ quibuſcunque violentijs etiam ſpi-
“ ritualibus, quæ pacem ſuam publi-
“ cam iniurioſè perturbant, defen-
“ dendi. Quia, vt rectè ait *Victoria*,
“ [c] *Reſpublica ciuilis eſt perfecta, & ſibi*
“ *ſufficiens, ergo poteſt ſe defendere ab*
“ *iniuria cuiuſcunq; propria authoritate.*
“ *Et confirmatur, nam poſſunt Principes*
“ *ſeruare propriæ Reſpublicas ab iniu-*
“ *ria aliarum Rerumpublicarum non ſo-*
“ *lum per modum defenſionis, ſed etiam*
“ *auctoritatiuè,* [d] *ergo etiam ab iniurijs*
“ *Clericorum.* Et propterea, *licitum*
“ *eſt Principi,* vt optimè inquit *Ioan-*
“ *nes Pariſienſis,* [e] *abuſum gladij ſpiritu-*
“ *alibus repellere eo modo quo poteſt, eti-*
“ *per gladium materialem, præcipuè vbi*
“ *vſus gladij ſpiritualis vergit in malum*
“ *Reipub-*

c Relect. 1. *de poteſt Eccleſ. ſec. 7.* § octaua propoſitio.

d *Notanda ſunt hæc verba,* non ſolùm per modum defenſionis, ſed etiã auctoritatiue.

e *De poteſt. Regia, & Papali cap. 21. ad* 37.

" *Reipublicæ, cuius cura Regi incumbit,*
" *aliter enim sine causa gladiũ portaret.*

9. " Sed totius controuersiæ nervus est, quænam sint pœnæ vtriusque potestatis, Ecclesiasticæ præsertim propriæ, quibus iniurias sibi illatas vindicare poterit. Nemo enim inter Catholicos negabit, quin penes Ecclesiã sit potestas puniendi peccatores, etiam Imperatores, & Reges Christianos pœnis, & Censuris Ecclesiasticis, quia iste modus castigandi proportionatus est Ecclesiasticæ potestati. Sed tota difficultas est, an priuatio bonorum temporalium, & depositio à temporali Principatu, atque eiusmodi, in pœnis, quæ à potestate Ecclesiastica, vt talis est, infligi possunt, sint annumerandæ. &c.

10. Iam quis Theologus, aut alius quicunquè vel mediocriter doctus, nisi *Doctor* iste, quo spiritu ductus ipse viderit, ex hac mea assertione concluderet, me *Principem temporalem facere Iudicem rerum spiritualium, & per hoc eum facere verè caput Ecclesiæ?* aut hanc meam doctrinam, quæ sanè

verissima

verissima est, ***non nisi ab homine in reprobum sensum dato prodire posse***, ita inuerecundè affirmaret. Neque enim hinc colligi potest, Principem politicum Iudicem esse rerum spiritualiũ, sed temporaliũ; neq; Ecclesiæ, id est, corporis Christi mystici, & spiritualis eius Regni, seu rerum Ecclesiasticarum, sed corporis politici, & rerum politicarum, & quæ politicarum naturas sortiuntur, caput esse.

11. Et tametsi in *Ecclesia*, quatenus *Ecclesia* pro corpore Christi mystico, & Regno eius spirituali ex spirituali tantùm potestate consistens vsurpatur, duo suprema *Ecclesiæ*, id est, rerum spiritualium, & quæ ad spiritualia reducuntur, capita visibilia, latera, aut humeros reperiri monstrosum esset, & doctrinæ Catholicæ dissentaneum; Attamen neque absurdum, neque Catholicæ fidei principijs dissonum est affirmare, in *Ecclesia*, quatenus *Ecclesia* pro toto Christiano orbe, seu Republica Christiana ex potestate spirituali, & simul temporali conflata, seu pro aggregato quodam corporis Christi mystici, & corporis politici

politici nulli vni in terris capiti, ſed Deo tantum capiti eius inuiſibili ſubiecto accipitur, duo eſſe capita viſibilia, duo latera, duos Principes, Reges nempe, & Pontifices, qui in gradu ſuo, Reges nimirum in temporalibus, & Pontifices in ſpiritualibus ſupremi ſint, ſoloque Deo minores, neque vllum omnino in terris ſiue temporalem, ſiue ſpiritualem, in ijs rebus, in quibus Supremi ſunt, Superiorem recognoſcant.

12. *Huius corporis*, ait *Hugo* de S. Victore, [f] *latus ſiniſtrum ſunt Laici, qui terrena curant, latus dexterum ſunt Clerici, qui ſpiritualia miniſtrant.* Et infra: *Terrena*, inquit, *poteſtas caput habet Regem, ſpiritualis poteſtas habet Summum Pontificem. Ad poteſtatem Regis pertinent, quæ terrena ſunt, & ad terrenam vitam facta omnia, ad Poteſtatem Summi Pontificis pertinent, quæ ſpiritualia ſunt, & vitæ ſpirituali attributa vniuerſa.* Quæ *Hugonis* verba referens *Thomas Waldenſis*, [h] *Ecce*, inquit, *duæ poteſtates, & duo capita poteſtatum.*

f *Lib. 2. de Sacram. fid. part. 2. cap. 3.*
g *Cap. 4.*
h *Lib. 2. doctrinalis ar. 3. cap. 78.*

13. Ex quibus conſtat, ex hac mea aſſertione nequaquam ſequi, Reges

ges Christianos *Ecclesiæ*, id est, corporis Christi mystici, sed corporis tantùm politici, & Regni terreni capita, & Principes esse. Sed ô infœlices horum temporum Scriptores, qui tam parum æquos librorum suorum Censores, Iudices, & Expurgatores habent.

---

§. 12.

1. D*Vodecimò*, *Doctor* iste ait, me num. 156. & sequentibus asserere, *ipsam etiam Euangelicam prædicationem, & similes spirituales actiones potestati politicæ subijci posse, quando qui mittuntur ad prædicandũ modo iuxta sententiam hostium fidei licitè pacem perturbant*. Et ait, *me etiam addere, posse Principem infidelem arcere Prædicatores Euangelij, & obedire recusantes morte mulctare, quando rationalibus argumentis arbitraretur, eam prædicationem Reipublicæ suæ noxiam esse: Neq; Martyres esse dicendos, qui inuitis eiusmodi*

modi Principibus prædicantes occidentur.

2. *Hac assertione,* ait *Doctor* iste, *iustificat* Widdringtonus *omnes persequutores, & condemnat omnes Martyres. Nam nemo fere fuit persequutorum, qui non probabili aliquo argumento ductus existimauerit, Christianam Religionem statui suo noxiam esse. Itaq; iustificat Caipham, condemnat Christum: Iustificat Nerones, Domitianos, Diocletianos, & similes pestes Ecclesiam Christi persequentes; condemnat Apostolos, cæterosq; pios Martyres patientes: Iustificat Regem Angliæ Prædicatores fidei Catholicæ à Regno suo eijcientem, & nisi pareant, crudeliter necantem; condemnat Catholicos prædicatores, qui pro honore Dei, & salute animarum indignissimo supplicio vitam exponunt: Et cum* Widdringtonus *hoc faciat, Catholicus & dici, & haberi affectat. Ingens temeritas cum pari impietate coniuncta. Armat Principes infideles, & instigat contra prædicatores fidei: Deterret viros Catholicos à prædicando Euangelio: Sanctos Christi Martyres, quos impij persequutores spoliarunt vita, ipse spoliare conatur*

natur gloria, & apud Deum, & apud homines. Vide quæ ſcripſimus infra in reſponſione ad hunc locum. Ita dicit, ſeu potiùs maledicit *Doctor* iſte. pag. 8.

3. Sed hæc calumnia multo grauior, & acerbior, nec minus falſa aut fraudulenta quàm præcedens eſt. Quæ enim maior calumnia excogitari poteſt, quàm virum Catholicum, non ſolùm vt non Catholicum, verũ etiam, vt Eccleſiæ Catholicæ perſequutorem, quinimo omnium perſequutorum, Caiphæ, eorumque qui *Chriſtum* Dominum crucifixerunt, defenſorem, à viro Catholico, & Sacerdote alioquin venerando ita calũniosè traduci? Magna procul dubio huic *Doctori* bilis erat, alioquin Chriſtiana, ſi non charitas, ſaltem verecundia calami ſui aſperitatem aliquantulum temperaſſet

4. Atque inprimis *Doctor* iſte duplici etiam, in hac aſſertione proponenda, fraude vſus eſt. Neq; enim ego abſolutè, ſed cum prædicta limitatione, quam *Doctor* iſte tacet, [*ſi naturas poteſtatis Eccleſiaſticæ, & politicæ conſi-*

deremus, abstrahēdo ab Ecclesiasticis sanctionibus, & Principum priuilegijs,] asserui, illicitam Euangelij prædicationem, similesque iniquas spirituales actiones, quatenus pacem publicam iniuriosè perturbant, potestati politicæ subijci posse.

4. Neque secundò absolutè affirmaui, prædicationem Euangelij, similesque actiones spirituales iuxta sententiam hostium fidei illicitas, & pacem publicā iniquè perturbantes, potestati politicæ subijci posse, aut posse Principem infidelem arcere Prædicatores Euangelij, quando rationalibus argumentis persuasus arbitraretur, talem illicitam prædicationem Reipublicæ suæ noxiam esse, sed hanc particulam [verè] de industria addidi, quàm *Doctor* iste, propterea quòd hæc particula [vere] calumniam eius manifestam redderet, dolosè prætermisit: vt sensus meæ assertionis sit, ipsam Euangelij prædicationem, similesque actiones spirituales, quatenus iuxta sententiam hostium fidei *verè* probabilem, atque adeo rectæ rationi consonam illicitæ sunt, pa-

cemque publicam iuxta ſententiam eorundem *verè* probabilem iniurioſè perturbant, poteſtati politicæ cum prædicta limitatione ſubiectas eſſe: atque etiam poſſe Principem infidelem arcere Prædicatores Euangelij, quando argumẽtis *verè* rationalibus, atq; adeo rectæ rationi conſonis ductus arbitratur, eos alijs vijs indebitis, quàm ex licita Euangelij prędicatione, quæ nemini iniurioſa eſſe poteſt, pacem publicam perturbaturos, & ſeditiones, ac tumultus in Republica excitaturos eſſe.

6. Sed quoniam *Doctor* iſte more ſuo ſolito ſententias meas fraudulenter detruncat, vt ita eas calumniandi, atque in peſſimum ſenſum trahendi aliquem colorem habeat, adeo vt mirum non ſit, quòd in libris meis prohibendis, ne pręſtigiæ eius ſtatim Lectori innoteſcerent, adeo deſudauerit, ipſam meam aſſertionem, eo integro modo, quo eam poſui, nihil planè addens, vel diminuens, ante oculos veſtræ *Sanctitatis* ponam, vt ita *Sanctitas* veſtra, & totus mundus clarè perſpicere poſſit, quàm inſignis

 calum-

calumniator ſit *Doctor* iſte, & quàm egregiè, ac inuerecundè & mea innocentia, & veſtra *Sanctitate*, & vniuerſo Chriſtiano orbe in rebus tam grauiſſimis, ſcriptiſque tam publicis abuti auſus fuerit. Hæc igitur expreſſima mea verba ſunt.

7. " Similiter poteſtas Eccleſiaſti-
" ca ſubiecta eſt ciuili per accidens in
" rebus tantùm temporalibus, & non
" in ſpiritualibus, niſi in caſu, quo
" ſpiritualia in perniciem Reipubli-
" cæ temporalis, & finis illius malè
" adminiſtrata, ratione iniuriæ tem-
" poralis, quæ Reipublicæ politicæ
" infertur, naturam temporaliū ſor-
" tiuntur. Per ſe tamen neutra pote-
" ſtas alteri ſubijcitur, aut ab altera
" dependet in eſſe ſuæ poteſtatis, ſed
" vtraque poteſtas habet ſuos Princi-
" pes ſupremos, & abſolutos, qui nul-
" lum Superiorem Iudicem recogno-
" ſcunt in ijs cauſis, & negotijs, quæ
" vnicuique Reipublicæ ſunt pro-
" pria.

8. " Si tamen contingat, poteſta-
" tem ciuilem abuti temporalibus in
" damnum Reipublicæ ſpiritualis, &
" finis

" finis illius, qui eſt animarum ſalus,
" per accidens ſubijcitur poteſtati
" ſpirituali, cui commiſſa eſt cura
" ſpiritualium, & conſequenter po-
" teſtatem Iuriſdictionis habet ſuper
" omnes actiones externas, quæ fi-
" nem ſpiritualem iniuſtè impediunt.
" Et pari ratione ſi eueniat, poteſta-
" tem ſpiritualem malè vti ſpirituali-
" bus in perniciem Reipublicæ tem-
" poralis, & finis illius, qui eſt pax
" temporalis, per accidens ſubditur
" poteſtati politicæ, cui cura tempo-
" ralium incumbit, & conſequenter
" poteſtatem Iuriſdictionis habet ſu-
" per vniuerſas actiones externas, quę
" pacem temporalem iniuriosè per-
" turbant.

9. " Hæc autem quæ diximus in-
" telligenda ſunt, vt alias [a] monuimus,
" iuxta ipſas poteſtatis Eccleſiaſticæ,
" & politicæ naturas, abſtrahendo ab
" Eccleſiaſticis legibus, & Princi-
" pum priuilegijs, quæ perſonas Ec-
" cleſiaſticas, deuotionis ergò, & vt
" maior illis exhiberetur reuerentia, à
" tribunalibus Magiſtratuum Secula-
" rium exemerunt.

a *In Apologia* *num.* 80.

" 10 Atque hinc colligi poteſt,
" ipſam etiam Euangelij prædicatio-
" nem(quod idem de ſimilibus acti-
" onibus ſpiritualibus intelligendum
" eſt) quatenus fit modo illicito, ini-
" què perturbando pacem publicam,
" aut per prædicatores Statui politico,
" cui prædicare mittuntur, alioqui
" inimicos, poteſtati politicæ ſubijci
" poſſe. Quo fit, vt ſi Papa aliquas
" perſonas mitteret ad prædicandum
" Chriſti Euangelium in Regno ali-
" cuius Principis infidelis, quas Prin-
" ceps ille argumentis *verè* rationa-
" libus ductus arbitraretur Statui
" ſuo politico inimicas, non tenere-
" tur tales Prædicatores admittere,
" ſed poſſet tum eas ſub pœna capi-
" tis è Regno ſuo excludere, tum
" ſubditis ſub eadem pœna interdice-
" re, ne eas hoſpitio excipiant, & ſi
" poſt debitam Principis admoniti-
" onem diſcedere nollent, extremo
" ſupplicio eas afficere licitè poſſet.

" 12 Nec propterea tales Prædi-
" catores, qui ob eiuſmodi inordina-
" tam Euangelij prædicationem pœ-
" na mortis mulctarentur, eſſent a

Chriſtianis

"Chriſtianis Martyres iudicãdi, quo-
"niam Princeps infidelis ſolùm tene-
"retur, tales Prædicatores tolerare,
"quos ipſe rationibus *verè* probabi-
"libus perſuaſus iudicaret, non fore
"ſtatui ſuo politico inimicos, aut ſibi
"in licita temporalium adminiſtrati-
"one *verè* aduerſarios. Neque enim
"quælibet Euangelij prædicatio lici-
"ta eſt, ſed ea ſolùm, quæ ex nulla
"praua circumſtantia redditur vi-
"tioſa.

"12 Immò poſſet Princeps ille
"infidelis cogere Summum Pontifi-
"cem intra limites poteſtatis politi-
"cæ, ne tales prædicatores in ſuum
"Regnum mittat, quos Princeps
"matura, ac probabili habita delibe-
"ratione exiſtimaret, fore Statui ſuo
"politico turbulentos, & ſeditiones
"in Republica excitaturos. Cum
"enim *talium* Prædicatorum miſſio
"ſit Reipublicæ politicæ, eiuſque
"Principi iuiurioſa, poteſt Princeps
"ille Summum Pontificem admo-
"nere, vt *tales* Prædicatores *tumul-
"tuoſos* è Regno ſuo euocet, & ne
"vlteriùs mittat eos, quos Princeps

"*rationabiliter* iudicat, Reipublicæ "suæ quietem alijs machinationibus "illicitis, quàm ex *pura* prædicati- "one Euangelica perturbaturos. "Et si Pontifex debitè admonitùs, a "*talibus seditiosis* Prædicatoribus "mittendis non desistit, potest "Princeps vim vi repellere, & iniuri- "am sibi illatam armis propulsare, "cum quilibet ex lege naturæ ius ha- "beat ad se a quibuscunque etiam "Summi Pontificis iniustis aggressi- "onibus cum inculpatæ tutelæ mo- "deramine defendendum.

13 Ecce, *Beatissime Pater*, assertio illa, in quam *Doctor* iste adeo debacchatus est, a me, ijsdem planè verbis, nihil prorsus addito, aut substracto, fideliter expressa. Quam quidem assertionem, quando primùm mea *Apologia* in lucem prodijt, quidam noster conterraneus *Parisijs* tunc agens, quibusdam Scholæ Parisiensis Doctoribus examinandã proposuit, expectans (nam in eum finem eorum placitum exposcebat) eam aliqua saltem censura, quæ non leui ignominiæ mihi esset, ab ijsdem Doctoribus

notandam

notandam fore. Sed postquam illi singula mea verba diligentiùs expendissent, tale illi responsum, tametsi aliud expectanti, reddiderunt, *Illud a me verè quidem, sed audacter dictum esse*. Scio equidem veritatem nonnunquam odium, sicut etiam obsequium, vt in prouerbio est, amicos parere: Sed quòd veritas condemnet Christum, Apostolos, cæterosque pios Martyres; & iustificet Caipham, Neronem, Domitianum, Diocletianum, & similes pestes Ecclesiam persequentes, hoc sanè in Christiani hominis cogitationem venire nequaquam potest.

14 Sed quid in hac assertione inuolui possit; quod huic *Doctori* adeo displiceat, & Catholicæ fidei principijs adeo repugnans sit, sicut ille vociferatur, magis particulatim inquiramus.

Et *primò*, an forsan Catholicæ fidei principijs repugnans est asserere, quòd Prædicatores Euangelij pacem publicam iniquè perturbare; seditiones, ac tumultus in Republica concitare, cum capitalibus Regni, eiusque

eiusque Principis hostibus Regis, Regnique interitũ molientibus conspirare, atque in hunc finem sub prætextu Euangelij prædicandi conuentus agere, & subditorum animos, aut prece, aut pretio a debita suo Principi fidelitate abducere, atque ad proditiones in eius personam, ac coronam moliendas incitare, quin etiam si eiusmodi conspirationes deficiant, ipsum Principem palam, aut per insidias, gladio, aut veneno, sicut in duobus vltimis Franciæ Monarchis non ita pridem contigit, interimere ipsi possint?

15 Et cum hoc nemo, nisi planè desipiat, affirmare possit; An forsan *secundò* Catholicæ fidei principijs repugnans est asserere, quod Prædicatores Euangelij, si ab Ecclesiasticis sanctionibus, & Principum priuilegijs abstrahamus, tam quoad personas, quàm quoad bona potestati Principum Secularium subiecti sint, & ob læsam Maiestatem, & perduellionis crimen, ab ijsdem pœnis temporalibus castigari licitè queant?

16 Et cum hoc affirmare, atq; ita concordem

concordem Theologorum sententiam (qui diserte pronunciant, *Ecclesiasticos, tam quoad personas, quàm quoad bona iure tantùm humano, ac Principum priuilegijs, & non diuino a potestate, ac tribunalibus Secularium Magistratuum exemptos esse*) vt hæreticam, aut temerariam condemnare ingens temeritas esset, vt suprà indicauimus; An forsan *tertiò* Catholicæ fidei principijs repugnans est asserere, quòd Princeps infidelis ab iniurijs quorumcunque etiam Clericorum non solùm per modum defensionis, sed etiam *auctoritatiue*, vt loquitur *Victoria*, se defendere, et Prædicatores Euangelij, qui manifestas seditiones, ac tumultus alijs vijs, quàm ex licita Euangelij prædicatione excitant, atque Principis, ac Reipublicæ ruinam *reuera* moliuntur, quantumvis ipsi prædicationem Euangelij prætendant, è Regno suo excludere, ipsosq; pœnis temporalibus, si discedere nolint, coercere licitè possit?

17. Et cum hoc nemo vir doctus affirmare possit, & contrarium ex ipsis Ecclesiasticæ, & politicæ potestatis

ſtatis naturis, atque ex expreſſa, *Ioannis Pariſienſis*, & *Franciſci Victoriæ* doctrina ſuperiùs manifeſtè euicerim, An forſan *quartò*, aut Catholicæ fidei principijs, aut rectæ rationi, & prudentiæ morali repugnans eſt aſſerere, quòd, vt Princeps infidelis contra Prædicatorum iniurias, ac cruentas eorum in vitam eius, ac Statum machinationes ſe defendat, ſuæque, ac Reipublicæ ſuæ, iuxta prudentiæ, ac rectæ rationis normã, ſecuritati conſulat, non oporteat, vt argumenta omnino clara, manifeſta, & planè cõvincentia, quæq; rem perſpicuè demõſtrent, habeat, ſed ſatis ſit, quòd argumenta habeat *verè* rationabilia, & rationes *verè* probabiles, quæq; proptereа rectæ rationi conſentaneæ ſunt, & viro cuicunq; prudenti, quamcunq; religionem profiteatur, prout recta ratio, & vera prudentia dictat, perſuadere valent, tales Prædicatores, quantumcunque puram Euangelij prædicationem præ ſe ferant, Principis tamen internecionem, atq; Reipublicæ interitum *re* quidem *vera* machinari?

18. Et

18 Et cum hoc nemo vir doctus, aut prudens cum aliqua probabilitatis specie affirmare possit, An forsan *quintò* Catholicæ fidei principijs repugnans est asserere, quòd recta ratio, veraque prudentia Christianæ Religioni contraria non sit, aut quòd nemo rationibus *verè* probabilibus, & argumentis *verè* rationalibus duci possit ad credendum, Religionem Christianam non veram, sed falsam Religionem esse, aut puram, ac licitã Euangelij prædicationẽ Statui politico iniuriam inferre, aut debitam in Republica temporali pacem perturbare posse.

19. Et cum hoc affirmare impium sit, cum apud omnes Catholicos satis constet, Religionem Christianam, fidemque Catholicam non contra, sed supra naturam, non contra, sed supra rationem naturalem esse, neque *puram* Euangelij prædicationem, & cum debitis circumstantijs factam Statui politico *verè* iniuriosam esse: An *denique* Catholicæ fidei principijs repugnans est asserere, quòd Prædicatores, Euangelij, qui pro criminibus

bus ſpiritualibus, quatenus temporalia ſunt, & pacem publicam iniurioſè perturbant, veluti qui contra iuſtas Regni leges nocturnis temporibus, atque armata manu, nulla neceſſitate cogente, Euangelium prædicarent, aut Sacram Euchariſtiam veneno delibutam Principi exhiberent, non quà Euangelij prædicatio, aut Sacramenti adminiſtratio præciſè ſumpta, ſed quà iniuſta, quà illicita, qua pacem publicam iniurioſè perturbat, aut Principi ſummam per iniuriam necem affert, morte afficerentur, neq; Martyres ſint, neque tales à Catholicis cenſeri debeant?

20. Atqui hoc à nullo Catholico abſque ingenti impietate, atque immani ſacrilegio affirmari poteſt, cum nemo, niſi pro cauſa iuſta mortem ſuſtineat, Chriſti Martyr cenſeri debeat. Cauſa enim, non ſupplicium, aut perſona Martyrem facit. Et propterea cauſa, ob quam quis morte afficitur, ad hoc vt Martyr dici, aut non dici debeat, potiſſimùm attendenda eſt. Aliud enim eſt pro iuſtitia, aut innocentia, & aliud iniuſte, aut innocenter

innocenter mori, cum possit quis de furro, homicidio, perduellione iniustè accusari, atque etiam per falsa, aut insufficientia testimonia de eisdem criminibus in foro externo conuinci, & morte etiam mulctari, qui tametsi innocentissimè re quidem vera condemnatus sit, non tamen idcirco Martyr, nisi pro iustitia, aut veritate defendenda passus fuerit, existimari debet.

21. Atque hæc sunt, *Beatissime Pater*, præcipua omnia, quæ ex illa mea assertione, in quam *Doctor* iste ita calumniosè inuehitur, quantumcunque quis in minutissimas quasque partes eam distribuere voluerit, extrahi rectè possint.

Iudicet iam *Sanctitas vestra*, an hæc mea assertio ita generatim tradita, neque à me ad casum aliquem particularem applicata, iustificet omnes persequutores, & condemnet omnes Martyres, iustificet Caipham, & condemnet Christum, iustificet Nerones, Domitianos, Diocletianos, similesq; pestes Ecclesiam persequentes, & condemnet Apostolos, cæterosque

pios Martyres patientes, vti *Doctor* iſte calumniatur ; vel potiùs vtrùm *Doctor* iſte, inſignis calumniator habendus non ſit, quique eo quòd & veſtra *Sanctitate*, & mea innocentia, totoque mundo, tam manifeſtam, tamque horrendam calumniã mihi, meæque doctrinæ, quæ ſanè veriſſima eſt, in re tam graui, ſcriptiſque tam publicis imponens, adeo inuerecundè abuti auſus fuerit, pœnis meritiſſimis caſtigari non mereatur.

22. Nemo enim vnquam fuit perſequutorum, qui vlla ratione *verè* probabili, vllo argumento *verè* rationabili, atque rectæ rationi *verè* conſentaneo ductus exiſtimare potuerit, Chriſtianam Religionem, aut puram Euangelij prædicationem Statui ſuo temporali, aut licitæ temporalium adminiſtrationi aduerſantem eſſe. Sed *Doctor* iſte illud [verè] dolo malo de induſtria prætermiſit ne Lector eruditus, cui lectio libri mei, eo potiſſimùm procurante, prohibita eſt, illius fraudem ſtatim animaduerteret.

23. Veruntamen cauſam illam, ob

ob quam *Doctor* iste prædictæ meæ assertioni adeo obstrepat, tantosque in eam excitet clamores, non admodum difficile est coniectare: Quia nimirum illa mea assertio, tametsi verbis tantùm generalibus à me tradita sit, viam tamen aperit, lucemq; non modicam tribuit, qua *Sanctitas vestra*, aut quicunque etiam alius æquus rerum æstimator eam ad casus particulares applicare possit, & clarissimè dijudicare queat, an P. *Henricus Garnettus* Iesuita, qui non ita pridem in Anglicano Martyrologio à quodam Iesuita *Wilsono* nuncupato, & quondam in Collegio Anglorũ Romæ P. *Parsonij* Scriba, confecto, in Sanctorum Martyrum Catalogo conscriptus est, verus Christi Martyr, an verus Patriæ, & Principis sui proditor, an neque Martyr, neque Proditor, sed iniustè tantùm condemnatus sit, & haberi debeat.

24. Et quantumuis hanc meam assertionem, quam *Doctor* iste adeo insectatur, istius *P. Garnetti* exemplo illustrare, me, tum *Doctoris* istius, tum cæterorum etiam Iesuitarum inuidiã

in me concitaturum optimè sciam; Quia tamen & *vestræ Sanctitatis*, & Ecclesiæ etiam Catholicæ, *quæ columna, & firmamentum est veritatis*, plurimùm interesse mihi certò persuadeo, vt ita veritas in re tam grauissima omnibus innotescat, neque falsa pro veris, aut Proditores pro Martyribus in magnum fidei Catholicæ scandalum Christiano populo à quibusdam priuatis hominibus, pro priuato suo interesse, & non pro communi Christianæ Reipublicæ commodo obtrudantur (vt intolerandas huius *Doctoris* & mentem, & verba mea turpiter deprauantis calumnias taceam, quæ me volentem nolentem meæ innocentiæ tuendæ gratiâ ad illud compulerunt) rem totam verè, sincerè, & quanta possum cum breuitate ante oculos *vestræ Sanctitatis* proponere planè necessarium esse duxi.

Ita ergo res se habet.

25. P. *Henricus Garnettus* Iesuitarum tunc in Anglia Superior Prouincialis in publico multorum Regni Procerum, & qui etiam *Regi* nostro

Serenis-

Sereniſſimo à Conſilijs ſecretis erant, (multis millibus hominum, inter quos quamplurimi etiam Catholici aderant, tunc adſtantibus) conſeſſu, accuſatus, condemnatus, & poſtea extremo ſupplicio affectus eſt, quòd horrendiſſimæ illius conſpirationis pulueerariæ conſultor, conſentiens, aut ſaltem conſcius eſſet. Multa argumenta duodecim viris *Iuratis* (qui more Anglicano ſuffragia ſua, an qui pro tribunali ſiſtitur, illius criminis de quo accuſatur, reus ſit necne, ferre debent, priuſquam Iudici ſententiam proferre licitum ſit) ab Aduocato Regio, alijſque illuſtriſſimis Dominis à Regio Maieſtate deputatis, qui pro tribunali ſedebant, proponebantur, quæ dictum *P. Garnettum* illius proditionis conſultorē, complicem, aut ſaltem conſcium fuiſſe arguebant.

26. Et quoniam nimis longum eſſet, ea omnia argumenta particulatim recenſere, quæ tum ex literis eius manu propria ſcriptis, quæ in manus Regij Conſilij peruenerant, tum ex libera eius confeſſione coram *Domi-*

nis delegatis ante iudicium facta, & propria etiam manu consignata (nullo enim tormenti genere, quod valde obseruandum est, ad veritatem dicendam sicut apud omnes nationes in vsu est, adigebatur, sed ea tantùm, quæ ipse sua sponte confiteri vellet, ab eo excipiebant) tum ex ipsorum coniuratorum, & ex D. *Annæ Vaux* nobilis fæmina, quæ illi valdè intima, ac familiaris erat, testimonijs petita aduersùs eum obiecta erant, quæque partim in publicis in eum Actis typo mandatis, partim in *Responsione* ad M. *Tortum* ab *Episcopo* tunc *Cicestriensi*, nunc autem *Eliensi*, qui rem totam accuratiùs examinat, facta fusè habentur, [b] ego pauca tantùm quædam ex plurimis referam quæque à viris Catholicis, qui P. *Garnetti* iudicio præsentes aderant confirmata audiui, de quibus ipse vel palam conuictus, vel in publico iudicio confessus est, quæque abundè sufficient, vt *Sanctitas vestra* clarè dijudicare possit, an P. *Garnettus* verè Christi Martyr & pro iustitia, an verè proditor, & pro sua iniquitate, an neque Mar-

b *Pag.* 270. *& seq.*

tyr, neque proditor, sed iniustè tantùm, & absque sufficienti probatione de Conspiratione illa pulueraria condemnatus sit, & haberi debeat.

27. Inprimis igitur, plurima argumenta duodecim viris *Iuratis* proponebantur, quæ P. *Garnettum* illius conspirationis conscium fuisse euidenter conuincere videbantur; Et propterea ipse in publico iudicio coram omnibus adstantibus *primò* confessus est, *se illius coniurationis notitiam generatim quidem extra confessionem habuisse à Catesbeio*, qui ex coniuratis primus, ac præcipuus erat, *quando Catesbeius* P. *Garnettum consultandi gratia adijt, eum interrogans, an fas esset in aliquo casu innoxios simul cum noxijs internecioni dare?* Quam quidem quæstionem, ait P. *Garnettus*, *primò putani otiosam quanquam postea ipsum aliquod monstri alere reuera suspicarer.* Cui tamen quæstioni P. *Garnettus* respondit, *posse absque dubio, & licere, cum noxijs innoxios deleri, si tantum ex ea re boni prouenturum esset, quantum aliquot innocentium necem*

compensare posset.

28. *Secundò* confessus est P. *Garnettus, se totã coniurationem* speciatim à *Catesbeio intelligere potuisse, qui particularem suæ machinationis narrationem illi facere voluit, quam tamen P. Garnettus auscultare noluit:* sed se à *Catesbeio* semel atque iterum petijsse, vt de incæpto suo *Papam* certiorem faceret, P. *Garnettus* affirmauit. Cui tamen *Catesbeius* respondit, *se Papæ voluntatem ab ipso audire nolle, cum de illius animo nequaquam dubitaret.*

29. *Tertiò*, confessus est, *se totam coniurationem speciatim à P. Oswaldo Tesmondo Iesuita, alias Greenwello in confessione accepisse, cui tamen strictè iniunxit, ait P. Garnettus, vt & ipse ab incæpto desisteret, & ne cæteri coniurati vlteriùs progredirentur, omnem operam daret.*

30. Sed huic eius Responsioni occurrit *primò Regius Aduocatus*, hanc confessionem, non fuisse veram, sed fictam, & deambulatoriam, atq; sub fuco confessionis palliatam. (Nam circa hanc confessionem *P. Garnettus* coram Dominis Delegatis mirum in modum

modum vacillauit. Nam iussus seriò respondere, an reuera in confessione rem totam speciatim accepisset; *Respondeo*, inquit P. *Garnettus*, *deambulasse nos*, & *Tesmondum*, seu Greenwellum *enunciasse mihi rem totam sub Sigille maximo, quod ego de Sigillo confessionis accepi, quanquam ille fortasse de minore aliquo intellexit, neque possum pro certo affirmare illi animum fuisse eam narrandi tanquam sub Confessione.*]

31. Deinde occurrit *Comes Salisburiensis*, nullam fidem simplici eius affirmationi aut negationi adhibendam esse: Cum antea P. *Garnettus* coram *Dominis Delegatis* de manifesto periurio cum maximo eius rubore conuictus esset. Nam cum post secretum ipsius cum P. *Oldcorno* Iesuita, alias Hallo, in carcere colloquium (ab alijs tamen subauditum) à *Dominis Delegatis* interrogatus, & absque æquiuocatione respondere rogatus esset, an aliquod cum P. *Oldcorno* colloquiũ in carcere habuisset, P. *Garnettus animæ suæ salutẽ testatus illud pertinaciter negauit, idq; tantis, & tã horrẽdis execrationibus repetijt*, ait *Comes*, *Vt*

audientium animus grauissimũ inflixisse vulnus videretur. Et tamen quamprimùm P. *Oldcornus* fassus est, se cum eo colloquium habuisse, erubuit P. *Garnettus*, *misericordiam à Dominis Delegatis postulauit*, *& se deliquisse agnouit*, *nisi ipsum Æquiuocatio tueretur*.

Et postea P. *Garnettum* idem *Comes* rogauit, vt vel vnicum præter simplicem eius negationem argumentum produceret, quod viro alicui prudenti persuadere poterit, se coniurationi illi assensum suum nequaquam præbuisse. Cui P. *Garnettus* ne verbum quidem respondit.

32. *Secundò*, quòd P. *Garnettus* illius conspirationis non solũ *conscius*, *sed etiã consentiens esset*, *hæc inter cætera* argumenta erant. *Primũ*, taciturnitas eius, ac reticentia, qui illam in genere à *Catesbeio* intellexit, & speciatim etiam intelligere potuit, & noluit, nec tamen reuelauit. Qui enim tacet, quod reticere non debet, in illud consentire dicitur, & qui non impedit quod reuelando impedire potest, ac tenetur, eũ in illud consentire notũ est

33. *Secundum*, persistentia *P. Tesmondi*,

mondi, P. Ioannis Gerardi Iesuitarum, nec non cæterorum coniuratorum in incæpto, qui ex istorũ Patrũ, maximè P. *Garnetti* auctoritate omnino dependebant, *in scelere* incæpto: sicut & verba *P. Oldcorni* Iesuitæ, ad *Humfredum Littletonum*, post delectam coniurationem habita quando ei renunciauit, *Catesbeium*, & alios puluere tormentario ex improuiso accenso, fuisse miserè sauciatos, seque grauiter, & acerbè ferre, insumptam tot dierum operam iam in fumos euanuisse, & ad exitum adeo deplorandum abijsse. Quem P. *Holdcornus alacriori animo esse iussit, neque causæ æquitatem ex euentu iudicare. Etsi enim vndecim tribus Israeliticæ, peculiari etiã Dei præcipientis voce concitatæ, semel atque iterum cum fratribus è tribu Beniamin manus conseruerint, vtroque tamen commisso prælio redierunt. Sic S. Ludouicus Rex Gallorum immerosum conflauit exercitum, & in bellum Sacrum peregrè profectus contra Saracenos, licèt causa fretus optima, profligato tamen exercitu deuictus erat. Christiani itidem Rhodum, contra* Turcarum *insultus viriliter,*

riliter, & animosè propugnantes, nihilominus vrbem hostibus expugnatam reliquère.

34. Hæc enim omnia satis commonstrare videntur, P. *Garnettum*, nequaquam verè, & ex animo coniurationem illam detestatũ fuisse, neque P. *Tesmondo*, & P. *Gerardo*, vt ab ea desisterent ex corde præcepisse, cum verisimilè non sit, eos, nisi P. *Garnettum* illi coniurationi consensisse optimè cognouissent, in tam horrendo scelere, quod semel detectum toti ipsorum Societati hîc in Anglia exitio foret, contra Superioris sui imperium persistere, neque P. *Oldcornum* illam etiam detectam tanquam bonum factum laudare, ausos fuisse.

35. *Tertiò* denique, quòd P. *Garnettus* illius proditionis non tantùm conscius, & consentiens, sed consultor etiam esset, hæc inter cætera argumenta erant.

Primum, ostensio duarum literarum Apostolicarum, seu Breuium Papæ *Clementis* octaui (quæ P. *Garnetto* missæ erant) *Catesbeio*, quarum vna, *Dilectis filijs, Principibus, & Nobilibus*

bilibus Catholicis, altera *Dilecto filio Archipræsbytero, & reliquo Clero Anglicano* inscripta erat, in quibus literis *Papa* Anglos Catholicos hortatur, ne post obitum Reginæ *Elizabethæ* ad Angliæ sceptrum tenendum suscipe-rent, nisi eum, quantumcunque propinqnitate sanguinis niteretur, qui fidem Catholicam non modò tolerare, sed omni ope, & studio promoueret, & more maiorum iureiurando se id præstiturum susciperet. His enim literis *Catesbeius* in scelere obfirmatus erat, & ex ijs tale argumentũ concinnabat: *Quos eijcere tunc licuit, eijcere iam licet: Æque licuit curare iam ne pergat potiri, atq; tum ne potiretur Rex, Curare nos Catholicos hoc voluit Clemens, igitur ea res curæ iam mihi erit.*

36. *Secundum*, Responsio P. *Garnetti* ad quæstionem *Catesbeij* de innoxijs simul cum noxijs interimendis. In his enim duobus fundauit se *Catesbeius*, atque super illis omnes intentiones suas exædificauit.

37. *Tertium*, persistentia P. *Tesmondi*, & P. *Gerardi* in scelere suscepto,

&

& laudatio P. *Oldcorni* illius, tanquam boni facti, etiam iam detecti, tametsi successum non habuerit. Neque enim credibile est, illos hæc facere ausos fuisse, nisi sui Superioris, P. nempe *Garnetti*, consilium, in re præsertim tam graui, & Societati suæ tam periculosa & expetiuissent, & mentem etiam cognouissent.

38. Et tandem P. *Garnettus* oratione *Comitis Northamptoniæ*, & *Salisburiensis* plurimum commotus, in hęc verba prorupit, *se plura cõmisisse, quàm quibus diluendis, iustam aliquam excusationem posset effingere: Et vtinam coniurationis illius fulminalis negotium mihi nunquam innotuisset:* Et demum, *Deũ & Regem supplex orauit, ne cum Catholicorum reliquis suam ob causam asperiùs ageretur.*

38. Atque ex his alijsque plurimis argumentis, quæ breuitatis causa nunc taceo, perspicuum esse videtur, Duodecim viros *Iuratos*, & Primarium Angliæ in criminalibus Iudicem, seu Iusticiarium, ad quem vltimam vitæ, aut mortis sententiam proferre spectat, meritò existimare potuisse, P.

Garnettum,

Garnettum, quòd proditionem illam in genere extra confeſſionem intellexerit, nec reuelauit, & per eum etiam ſteterit, quo minus ſpeciatim à *Catesbeio* non acceperit, vt ita reuelare potuiſſet, & quòd in confeſſione tantùm eam ſpeciatim cognouerit, ſimplex tantùm eius aſſertio, cui in hac re fides adhibenda non eſt, cum præſertim de periurio antea conuictus eſſet, illius proditionis non reuelatæ, ſi non conſultor, & conſentiens, ſaltem conſcium, ac proinde iuxta antiquas Regni iſtius leges læſæ Maieſtatis reum fuiſſe.

39. Igitur omnibus argumentis, & dictorum, factorumque probationibus, ac P. *Garnetti* reſponſionibus auditis, atq; delatis duodecim Iuratorũ ſuffragijs, qui P. *Garnettũ* huius cõſpirationis puluerariæ, de qua accuſatus erat, reum eſſe, Primarius Angliæ Iuſticiarius hanc ſententiam pronunciauit, vt traheretur, ſuſpenderetur, & in partes diſſecaretur.

Tunc Comes Salisburienſis P. *Garnettum* interrogauit, ſi quid amplius dicturus erat. Cui ille reſpondit.

dit. *Nequaquam mi Domine. Vestras autem Dominationes quàm possum demississimè rogo. vt vitam meam Regiæ Maiestati commendatam habeatis, pro cuius arbitrio aut mori, aut viuere, ipsique inseruire sum paratissimus.*

40 Atque hæc in publico P. *Garnetti* pro tribunali stantis iudicio acta sunt, quæque ego fideliter, tametsi non omnia eodem forsan ordine quo dicta sunt, recensui; Quæ autem in supplicio eius acta sunt, hæc præcipua erant.

Cum ad locum supplicij ductus esset, atque in pegma in hunc finem fabricatum ascendisset, D. *Henricus Montague* Ciuitati Londini *a Memoria*, siue *Recordator*, qui a *Rege* iussus ibi adesse, P. *Garnettum* interrogauit, si quid haberet, quod populo circumstanti communicaret, nullam iam tempus simulandi monuit, cum eius crimina omnibus manifesta essent, itaque si modo vellet, vniuersis testaretur, quæ sui ipsius esset de seipso, & criminibus illis sententia, integrum enim esset sibi quæ haberet, loqui. P. *Garnettus* respondit, *vocem eius adeo*

esse

esse submissam, viresque extenuatas, vt si populum alloqueretur, exaudiri non posset. Adstantibus autem in pegmate dixit, *consilium fuisse sceleratum, & susceptum scelus fuisse immane, & eiusmodi, vt si peractum fuisset, non potuisse se non ex animo auersari.* Addidit, *se tantùm a* Catesbeio *in genere intellexisse, & in hoc tamen peccasse quòd cœlauerit, & præuertere neglexerit. Quæ autem in particulari nonit,* dixit, *se tantùm sub sigillo Confessionis accepisse.*

41 *Recordator* vero eum monuit, vt in memoriam reuocaret hæc quatuor, quæ inter alia *Rex* propria ipsius *Garnetti* manu consignata habuit.

1 *Greenwellum* seu *Tesmondum illi rem significasse non vt peccatum, sed quam ipse prius intellexerat, idque consultandi gratia.*

2 *Catesbeium*, & *Tesmondum, ipsum accessisse, vt in scelere suscepto confirmarentur.*

3 *Tesmondum, & ipsum de particularibus in proditione illa per pulmerem fulminalem colloquium satis longo*

longo post tempore in Essexia habuisse.

4 *Tesmondum interrogasse* Garnettum, *quis Regni Protector futurus erat?* Garnettumque *respondisse, id differendum esse, donec res esset acta, & transacta.*

Hæc eminent scelera illa, aliunde quàm ex Confessione tibi comperta fuisse, & hæc tui ipsius manu consignata habentur. P. Garnettus respondit, *quicquid sub manu sua consignatum fuerat, verum esse, quòdq; sua sibi comperta Regiæ Maiestati non aperuisset, mortis sententiam iustissimè in eum fuisse pronunciatam, veniamque a Regia Maiestate precatus est.* Hinc *Recordator* duxit eum ad pegmatis marginem, vt eius confessio a populo audiretur.

42 Tunc P. *Garnettus* inquit; *Huc accessi hoc festo die Inuentionis Sanctæ Crucis, vt finis imponatur omnibus crucibus, quas in hac vita pertuli. Supplicij mei causa vos minimè latet: me in Regem peccasse confiteor, quod mihi est dolori, quoad mali conscius fui, scilicet in reticendo; & hoc nomine veniam à* Regia Maiestate *supplex peto. Machinatio contra*

contra Regem, *& Regnum ſanguinolenta erat, quamque ſi peracta fuiſſet, ego ipſe intimis ſenſibus, & toto animo deteſtaturus eram. Doleo ſanè maximè, & peracerbè fero, Catholicos tam atrox, & immane facinus ſuſcepiſſe.* Tunc a populo conuerſus ad circumſtantes Apologiam pro D. *Anna Vauz* inſtituit. De *Breuibus* illis *Papalibus*, *Edmundi Baynham* in exteras regiones profectione, & de machinatione illa cum puluere fulminali ſe ad actionem in ipſum habitam, & ſuas ipſius Confeſſiones retulit, quia quicquid ſub manu ipſius in Confeſſionibus, extat verũ eſſe agnouit.

43 Ad mortem iam ſe accingens ad ſcalam, qua in patibulum aſcendendum erat, in genua procubuit, & pecunctatus eſt, *an ſibi liceret orare, & quamdiu.* Reſponſum erat, *ſibi tempus ipſe præſcriberet, & quod nemo interturbaret.* Cum iam ſurrexiſſet. *Recordator* ex geſtu obſeruans illum veniæ expectatione quaſi torqueri, monuit, ne ipſe ſibi, & animæ ſuæ fraudem faceret, cum iam ad mortem adductus eſſet, & ipſi moriendum: ſimulque

 poſtulauit,

postulauit, ne supremum iam spiritum æditurus æquiuocaret; sin aliquid, quod *Regi*, aut Regno fraudi esset nouerit, enunciaret. P. *Garnettus* respondit: *Non hoc tempus est æquiuocandi, quousque æquivocare licitum, & quando, iam alibi sententiam explicaui meam, nunc autem minimè æquivoco, & plura quàm confessus sum, haudquaquam noui.*

44 Iam ad patibulum huiusmodi verbis vsus est. *Omnibus bonis Catholicis me commendatum habeo, Deum comprecor, vt* Regiam Maiestatem, Reginam, Regiam sobolem; & Dominos a Sanctiori Consilio *tueatur, quos quam officiosissimè saluto, & quibuscum simulatè me egisse malè me habet. Verùm non putaram illos ea contra me indicia, & argumenta habuisse, donec coram produxissent. Tunc enim maiori honori mihi duxi confiteri, quàm antea meipsum subaccusasse. Quod ad fratrem meum* Tesmondum, *in votis habeo, vt veritas elucescat, falsi enim rumores illi maiora, quàm admisit crimina affingunt. Ego illum neutiquam accusaueram, nisi illum iam extra periculum esse existimassem.*

Faxit

Faxit Deus, ne grauius cum Catholicis meo nomine agatur, eosque adhortor, ne eiusmodi proditionibus, & rebellionibus contra Regem *se immisceant :* Tunc signans se signo crucis, & Sanctissimæ Trinitati, ac B. Virgini se commendans, scala submota suspendio vitam finiuit.

45 Atque hæc omnia, B^me^ *Pater*, non clam, & in latebris gesta sunt, sed palam, & in propatulo, partim in *publico* eius *Iudicio* in *Camera Londinensi*, coram quinque *Illustrissimis Comitibus*, qui Actioni præfuerunt, quique Assessores habebant præter *Prætorem Londinensem*, tres *Primarios* Regni *Iudices*, atque infinitam ferme hominum, inter quos quamplurimi etiam Catholici erant, multitudinem adstantem; partim in *Supplicio*, in media ciuitate, ante portam *D. Pauli*, quò etiam copiosa hominum turba confluebat, ita vt *Sanctitas vestra*, si forsan de aliquo istorum, quæ commemorata sunt, dubitet, neque tantæ *Protestantium* multitudini, (quos falsum dicere in re tam publica, de qua a tot Catholicis qui & *Iudicio*, & *Supplicio*

P. *Garnetti* præſentes aderant, falſitatis, ſi qua eſſet, facilè redargui poſſent, nequaquam credibile eſt) fidem adhibere nolit, ab ipſiſmet Catholicis, qui partes non ſunt, ſed quòd *Patres* illi tam horrendo ſceleri ſe vllo modo immiſcuerint, ob maxima detrimenta, & ſcandala, quæ Religio Catholica inde paſſa eſt, ſummo dolore afficiuntur, ipſam rei veritatem, iam cum in viuis ſint, in ſingulis quæ relata ſunt, quæque ego ab ipſis etiam Catholicis, qui præſentes aderant, accepi, facillimè addiſcere queat.

46 Duo tamen potiſſima argumenta ſunt, quæ ad innocentiam P. *Garnetti* confirmandam a quibuſdam adduci ſolent.

Primùm, quòd ipſe palam proteſtatus ſit, ſe conſpirationem illam ſpeciatim non niſi in confeſſione a P. *Teſmondo* accepiſſe.

Sed ad hoc alij reſpondent *primo*, P. *Garnettum* in hac ſua Reſponſione mirum in modum vacillaſſe, ſibique quodammodo cõtradixiſſe, cum tametſi ſe eam in confeſſione accepiſſe dicat, non tamen P. *Teſmondum*

eam

eam tanquam ſub Confeſſione narraſſe affirmare auſus fuerit. *Secundò*, P. *Garnettum* antea de periurio palam conuictum fuiſſe: & propterea nullam fidem eius proteſtationi iam adhibendam eſſe, nam ſemel malus ſemper præſumitur malus in eodem genere mali, niſi contrarium euidenter appareat; ſed præſumendum eſſe, eum ad ſe, & Societatem ſuam a tam graui infamia, quantum in ſe eſſet, excuſandum æquiuocatione vſum eſſe, ſicut ad prædictum periurium excuſandum ſe æquivocaſſe affirmare non dubitauit. *Tertio*, tametſi proditionis illius particularia in confeſſione accepiſſet, ipſam tamen proditionem generatim extra confeſſionem ſatis intellexiſſe, atque per eum etiam ſtetiſſe, quo minus illam etiam ſpeciatim a *Catesbeio*, extra confeſſionem non audiuerit, atque ita non præuerterit; cum *Catesbeius*, ipſomet P. *Garnetto* atteſtante, rem totam illi pandere paratus fuerit, quam tamen ille vt audiret, atque ita reuelaret, adduci nullo modo potuit.

47 *Secundum* argumentum ex *ſtramine*,

mine quodam, vt aiunt, miraculoſo, ſanguine P. *Garnetti* conſperſo, in quo quædam humanæ faciei effigies apparet, deſumunt, quod ſanè miraculum P. *Garnetti* innocentiam plurimùm confirmare iſti arbitrantur.

Sed ad hoc Reſpondent alij *primò*, *ſtramen* hoc qualecunque miraculoſum ex fide vnius fœminæ, quæ Sartoris coniux eſt, & *Patribus Ieſuitis* tunc plurimùm deuota dependere; quæ ait, ſe *ſtramen* illud, ſibi a viro quodam cuius nomen ignoro, delatum, in arca ſua per multum temporis repoſuiſſe, in quo poſtea educto facies illa apparere viſa eſt.

48 *Secundò*, *ſtramen* illud non eſſe miraculoſum, cum vel arte, vel caſu ex ſanguinis aſperſione, alijs naturalibus, contingere potuerit, ſicut Pictor ille, qui ſpumam in ore equi efformare non poterat, tametſi in ea per multum temporis deſudauerit, eam fortuito lapſu penicilli perfectiſſimè depinxit. Et plurimas alias effigies magis mirandas in radicibus herbarum, atque in lapidibus indies cerni poſſe.

49 *Tertiò*, effigiem illam eſſe valdè imperfectam, neque ab aliquo vix cerni poſſe, neque rotundam P. *Garnetti* faciem referre: at opera Dei miraculoſa perfecta ſunt, & facies hominum diuino penicillo miraculoſè efformatæ, non ita obſcuræ, imperfectæ, & prototypis abſimiles eſſe ſolent.

Quartò, in *ſtramine* illo non vnam tantùm, ſed duas facies, vnam ſubtus aliam, a diuerſis viſas eſſe, vt a viris fide dignis, qui *ſtramen* illud viderunt, & duas in eo facies obſeruarunt, accepi.

50 *Demum*, quod caput eſt, dato, quòd miraculoſa ſit effigies, ſiue vna ſit, ſiue plures, vnde conſtat, effigiem hanc ad innocentiam P. *Garnetti*, magis, quàm ad noxam eius demonſtrandã a Deo efformatam eſſe? quando quidem facies illa in *ſtramine ſanguinolento* appareat, vt forſan oſtenderet, P. *Garnettum* virum *ſanguinolentum* fuiſſe, atque in tot innocentium hominum, qui ſimul cum cæteris ſufflari debuiſſent, ſanguinem innoxium ſaltem ſua taciturnitate conſenſiſſe:

Vel si duæ erant facies; vt forsan indicarent, P. *Garnettum* duplicis faciei hominem fuisse, qui externa facie sinceritatem, veritatem, & sanctitatem præ se ferebat, cum tamen intus in corde contrarium latitaret, quandoquidem de manifesto periurio palam conuictus, & de conspiratione hac reticenda, ob quam se *in Regem peccasse* sæpius affirmauit, & pro qua veniam *Regia Maiestate* precatus est condemnatus, atque suspensus fuerit.

51 Atque hæc sunt, *B^me Pater*. potissima omnia, quæ in *P. Garnetti* causa in vtramque partem adduci solent, a me fideliter enarrata. Quid autem de hac re tota meo iudicio sentiendum sit, ego inuidiæ declinandæ causa nihil in præsenti asseram, sed prædicta argumenta *Vestra Beatudini*, cuius potissimum est, quinam sint veri, aut falsi Martyres, quæ vera, aut straminea miracula authenticè declarare, proponenda esse duxi, vt ex ijs *Sanctitas vestra* clarè perspicere queat, an P. *Garnettus* iustè, an iniustè, an pro iustititia passus fuerit, & an mea assertio, quæ verissima est, ipsum iustificet,

iuſtificet, vel condemnet. Conſtat enim meam aſſertionē ita vniuerſim traditam, neque ad caſum aliquem particularem applicatam, neminem iuſtificare, aut condemnare, tametſi ad verè dignoſcendùm quis iuſtificandus, aut condemnandus ſit, qui mortem patitur, lucem non exiguam tribuere, eamq; *veſtræ Sanctitati* plura in P. *Garnetti* cauſa examinandi iuſtiſſimam occaſionem miniſtrare, equidem inficiari non poſſum.

52. Et *primò*, an prædicta argumenta, & cætera quæ breuitatis cauſa omiſi, ſufficientia erant ad duodecim viris *Iuratis* iuxta prudentiæ regulas perſuadendum, P. *Garnettum* proditionis pulueraria conſultorem, conſentientem, aut ſaltem conſcium fuiſſe.

Secundò, cum ex plurimis teſtimonijs, eiuſque confeſſione ſatis conſtet, eum generalem illius proditionis notitiam extra confeſſionem habuiſſe, atque per ſeipſum etiam ſtetiſſe, quòd eam etiam ſpeciatim extra confeſſionem non audiuerit, an duodecim viri *Iurati* nudæ illius aſſertioni tametſi iuramento firmatæ, affirmantis ſe particularia

ticularia omnia illius proditionis in confeſſione tantùm accepiſſe, in foro externo fidem adhibere tenebantur, cum præſertim in hac etiã eius aſſertione plurimum vacillauerit, & de manifeſto etiã periurio publicè corã ipſis conuictus fuerit, vel potiùs an ipſe tenebatur duodecim *Iuratis* manifeſtum facere, ſe omnia particularia illius proditionis non alia via, quàm in Sacramentali cõfeſſione reſciuiſſe.

53. *Tertiò*, dato non conceſſo, quòd argumenta illa, atque teſtimonia non adeo ſufficientia eſſent, an nihilominùs P. *Garnettus* Martyr cenſendus ſit, cum ipſe neque de iuſtitia, neque de confeſſione non detegenda accuſatus, aut condemnatus eſſet, ſed ſolùm quòd illam conſpirationem generatim extra confeſſionem cognouerit, atque etiam ſpeciatim ſi voluiſſet, à *Cateſbeio* intelligere potuerit, neque reuelare voluerit; quod quidem ipſe ſponte agnouit, & ſe in hoc peccaſſe, & mortis ſententiã in eum iuſtè pronunciatam eſſe, quòd cælauerit, & præuenire neglexerit, palam confeſſus eſt, veniamque à

Regia

Regia Maiestate suppliciter petijt, quod quæ sibi comperta essent, *Regiæ Maiestati* non aperuerit: Adeò vt plurimi apud nos Catholici insignē istorum Patrum, alloqui sanè prudentium, audaciam non parum admirentur, quòd absque vlla probabilitatis specie, in graue Religionis Catholicæ scandalum, & non leuem suæ Societatis ignominiam, P. *Garnettum*, tametsi se peccasse affirmauerit, & mortis sententiam in eum iustissimè pronunciatam esse, palam asserere non dubitauerit, Martyrem tamen esse prædicare non pertimescant.

54. *Quartò*, si casus iste *P. Garnetti* cum prædictis omnibus circumstantijs, ac probationibus ad conspirationē aliquam de *vestra Sanctitate*, totoque *Cardinalium* Collegio puluere sulphureo exsufflandis applicaretur, an *Sanctitas vestra* mortis sententiam in eum iustē proferre possit, & vtrùm ipse propterea Martyr, an proditor, an solum iniustè condemnatus censendus esset.

55. *Quintò*, an expediens sit, vel potiùs Catholicæ Religioni maximè

scandalosum,

ſcandaloſum, & ipſimet *P. Garnetto* valde iniurioſum, vt ipſe à ſuæ *Societatis* hominibus Martyr eſſe palam prædicetur, in Catalogo Sanctorum Martyrum ab ipſis reponatur, eius oſſa pro ſacris reliquijs habeantur, & Imago ipſius in medallijs, in templis, ſuper altare tanquam Sancti Martyris effigies collocetur, & ipſe interim devotis fidelium ſuffragijs, quibus fortaſſe plurimùm indiget, priuetur, priuſquam *Sanctitas veſtra* cauſam eius examinauerit, & vtrùm verè Martyr, & pro iuſtitia, vel verè Proditor, & pro ſua iniquitate, vel neque Martyr, neque Proditor, ſed iniuſtè tantùm paſſus fuerit, ſicut nonnullos pro latrocinijs, atque homicidijs iniuſtè per falſa, aut inſufficientia teſtimonia condemnari ſæpe contingit, quos tamen Martyres eſſe nemo affirmare audet, palam ac publice declarauerit.

56. *Sexto*, quid ſentire poſſit *Rex* noſter *Sereniſſimus*, totumque Angliȩ Regnum, quòd P. *Teſmondus* Ieſuita, quem præcipuum illius puluerariæ proditionis Ducem, & Conſultorem

fu iſſe

fuisse pro certo habent, *Romæ*, tametsi mutato nomine, & *vestra Beatitudine* fortassis nesciente, post fugam arreptam per multum temporis vixerit, atque *vestræ sanctitatis* in templo S. *Petri* publicus *pœnitentiarius* fuerit, & nunc etiam fortasse sit: (Sicut etiam & P. *Gerardum* circa idem fere tempus, in eodem S. *Petri* templo confessiones publicè accipientem quamplures viderunt) Sed hoc ideo à *Patribus Iesuitis* prouidè factum esse, non leuis multorum, qui eos optimè norint, coniectura est, vt ipsi ad P. *Garnetti*, *Tesmondi*, & cæterorum innocentiam comprobandam aliquod argumentum, si cætera deficerent, ex vestra saltem auctoritate, postquam *Sanctitas* vestra ex hac vita migrauerit, trahere possint. Ita enim tunc temporis, quando à *vestra Sanctitate*, vtpote defuncta redargui nequeunt, argumentari possunt; *Vestram Sanctitatem*, nisi illorum *Patrum* innocentiam satis compertam, & exploratam habuisset, P. *Tesmondum*, qui præcipuus illius Conspirationis Consultor est habitus, *Romæ* tamdiu viuere, atque pub-

licum

licum in templo S. *Petri vestræ Sanctitatis Pœnitentiarium* agere, permittere nullatenus voluisse, cum tamen *Sanctitas vestra* neque P. *Tesmondum*, neque P. *Gerardum*, aut vestrum *Pœnitentiarium*, aut etiam *Romæ* à tempore delecti sceleris vixisse fortassis cogitauerit.

57. Atque hæc sunt, *B^me^ Pater*, quæ à *vestra Sanctitate* sedulò expendenda paulò sanè illubentiùs proposui, sed ignominiosæ istius *Doctoris*, quē *Patris Iesuitæ* cum tantò applausu admirantur, contumeliæ, qui me, tanquam omnium mortalium nequissimum, nempe *Persequutores omnes iustificantem, omnesque Christi Martyres condemnantem* tam iniustè, inconsideratè, & per summam calumniam traducere non pertimescit, me volentem nolentem, tum meæ innocentiæ defendendæ, tum veritatis in re tam graui ab omnibus cognoscendæ, tum perniciosissimæ falsitatis detegendæ gratia, ad ea commemoranda, quæ sibi non placent, gratias sibimet referant, coegerunt. Iam reliquas eius calumnias prosequamur.

§. 13.

§. 13.

1. D*Ecimò tertiò, Doctor* iſte ait, me num. 229 *docere peccata, quatenus perturbant pacem publicam, pertinere ad forum Principis Secularis: Quatenus ſunt offenſæ Dei, pertinere ad forum Principis ſpiritualis.*

Hac ſententia, ait *Doctor* iſte, *primùm confundit fora. Nam facit omnia ferè peccata grauiora eſſe miſti fori. Itaq; ex hac ſententia ſequitur, homicidia, & furta pertinere ad forum Eccleſiaſticum, quia ſunt offenſæ Dei. Hæreſim verò pertinere ad forum Seculare, quia perturbat pacem publicam. Deinde pugnat hæc ſententia cum praxi Eccleſiæ.* a Pag. 9.

2. Veruntamen aſſertionem meam eſſe veriſſimam, & quod *Doctor* iſte in contrarium obijcit, meram calumniam eſſe nimis manifeſtum eſt. Ille etenim fora confundit, qui aut idem planè delictum ad vtrumque forum, Eccleſiaſticum & Seculare, eodem planè reſpectu pertinere, aut eiuſdem planè generis ſupplicio in vtroq; foro per

perſe mulctari poſſe affirmat. Neq; *Doctor* iſte, vti opinor, exiſtimat, eadem prorſus perduellionis, rapinæ, homicidij &c. crimina, quæ ad Seculare forum ſpectare omnes norunt, pœnis etiam Eccleſiaſticis, quatenus notabile animarum ſaluti damnum afferunt, ab animarum Paſtore caſtigari poſſe. Neque etiam audet ipſe, quicquid iam, vt notam aliquam mihi inurat, præcipitanter dicat, inficiari, quæcunque peccata in prędicto ſenſu miſti fori eſſe, ſeu, quòd idem eſt, eadem peccata, quæ ad forum Seculare ſpectare noſcuntur, pœnis etiam ſpiritualibus, quatenus ſpirituali ſaluti nocent, a Paſtore ſpirituali coerceri poſſe; & peccata etiam ſpiritualia, vt hæreſis, Schiſma &c. quatenus pacem publicam inter Chriſtianos perturbant, à *Principe* temporali pœnis temporalibus punienda eſſe. Atque hoc ipſum praxis *Eccleſiæ*, & *Principum* Chriſtianorum perſpicuè confirmat.

3. Quis enim ignorat, Regicidia, perduelliones, incendia, homicidia, latrocinia, concubinatum, duella, rapinas,

pinas, & eiusmodi crimina, ad Seculare forum pertinere, & pœnis temporalibus à *Principe* Seculari puniend a esse ? Atqui hæc etiam crimina pœnis spiritualibus à Pastoribus animarum castigari solere, nemo, qui Ius Canonicum vel oscitanter perlegerit, ignorare potest.

4. In *Concilio Toletano* quarto [b] *excommunicantur omnes ex Hispaniæ populis, qui qualibet coniuratione, vel studio, sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ, gentisq́; Gothorum statu, vel conseruatione Regiæ salutis polliciti sunt, temerare, aut* Regem *nece attrectare, aut potestate Regni exuere, aut Præsumptione Tyrannica Regni fastigium vsurpare præsumunt.*

b *Can.75.& in Tolet.6.can.18*

5. In *Constitutionibus* Angliæ, [c] *excommunicantur omnes illi, qui pacem, & tranquillitatem Domini* Regis, *& Regni iniuriosè perturbant, seu perturbare præsumunt ; & qui iura Domini* Regis *iniustè detinere contendunt.* Item, *latrones publici omnes, pariter ac prædones, ac quicunque Regni iustitiam temerè impugnantes.* Item, *qui falsum perhibent testimonium, vel perhiberi procu-*

c *Lib.5.de sent excom. cap. Cum malum.*

rant ad exhæredationem alicuius hominis procurandam. Item, *qui gratia lucri, odij, vel fauoris maliciosè alicui crimen imponunt, vnde infamatus sit apud bonos, & graues, vt sic ei purgatio indicatur, vel alio modo grauetur.*

6. *Incendiarios*, & qui illis Consilium, aut auxilium ſcienter tribuunt, excõmunicandos eſſe ſtatuit *Innocentius* ſecundus [d], atque eos, *qui de loco ad locum iter faciunt, & ibi rapinas, & deprædationes peragunt*, excommunicandos eſſe *Concilium Meldenſe* decernit. [e] *Homicidis* pœna Irregularitatis imponitur, [f] & non poſſe eos ad Sacros Ordines promoueri, *Conciliũ Tridentinum* decernit[g]: & quod etiam excommunicari poſſint, nemo vir doctus inficiari poteſt. Item *Alexander* tertius in *Concilio Lateranenſi* generali ſtatuit, ne manifeſti Vſurarij ad communionem Altaris admittantur: Et poſſe etiam fures, & qui res deperditas non reuelant, ab Epiſcopis excommunicari ſupponit *Concilium Tridentinum* [i]: Atque *Concubinarios* etiam ab Epiſcopis locorum Excommunicationis gladio feriendos eſſe idem

d *Can. peſſimam. 23. q. vltima.*

e *Extra cap. 1. de raptoribus.*

f *In cap. 1. de homicidio.*

g *Seſſ. 14. c. 7.*

h *Can. quia in omnibus extra de Vſuris.*

i *Seſſ. 25. c. 3.*

k *Seſſ. 24. c. 8.*

idem *Concilium* decernit. Denique vt infinitas huiusmodi Excommunicationes nunc taceam, in eodem *Concilio Tridentino* Raptores mulierum, illisque consentientes, [l] & qui in duello pugnant, [m] ipso facto sunt excommunicati.

l *Sess. 24. cap 6.*
m *Sess. 25. c. 19*

7. Ex his igitur satis constat, Ecclesiæ praxi, & Conciliorum generalium decretis, quæ non idcirco fora confundere censenda sunt, consonum esse, quòd peccata Secularia, quæ absque dubio ad forum Seculare spectant, ad forum etiam Ecclesiasticũ, ad hoc vt Censuris Ecclasiasticis, quatenus saluti spirituali obsunt, coerceri queant, pertinere.

8. Neq; etiam dubiũ esse potest, quin peccata spiritualia, vt hæresis, aut Schisma, saltem quatenus pacem publicam perturbant, pœnis etiam temporalibus à *Principibus* Christianis castigari posse, atque in hoc sensu ad forum Seculare, vt pœnis capitalibus coerceantur, pertinere, *Potest, ac debet Pontifex*, ait Card. *Bellarminus*, [n] *omnibus Christianis ea iubere, ad quæ quilibet secundùm suum statum tenetur,*

n *Lib. 5. de Rom. Pont. c. 7.*

id est singulos cogere, vt eo modo Deo seruiant, quo secundum statũ suum debent, debent autem Reges Deo seruire defendendo Ecclesiam, puniendo hæreticos, & schismaticos, vt Augustinus [o], *Leo* [p], *& Gregorius* [q] *docent.*

o *In epist. 50. ad Bonifac.*
p *Epist. 75. ad Leon. August.*
q *Lib. 2. Epist. 61. ad Mauritium.*
r *In 4. d. 29. q. 1. ar. 4.*

9. *Cum Matrimonium*, ait *Dominicus Sotus*, [r] *sic sit Sacramentum, vt sit etiam ciuilis contractus, nil vetat, quò minus, vt priori ratione ad forum Ecclesiasticum spectat, posteriori, ciuili etiam aliquatenus subdatur. Non quòd Principes ea possint, quæ sunt de Matrimonij substantia, demutare, sed tamen quòd valeant contrahentes mulctare, vbi in bonum publicum contrahentes deliquerint: Nam possunt delictis, quorum iudicium ad Ecclesiasticum tribunal pertinet, supplicia etiam, quatenus pacem Reipublicæ perturbant, decernere.* Quid clarius ad meam assertionem comprobandam dici potuit?

10. Atque hoc *Soti* pronunciatũ, vt alibi [s] obseruaui, pari, omnino ratione ad hæresim applicari potest, quę cum sic spiritualis offensa sit, vt etiam Reipublicæ ciuilis pacem temporalem perturbet, nil vetat, quo minus,

s *In Disp. Theolog. cap. 7. sec. 2. in fine.*

vt

vt priori ratione ad forum Ecclesiasticum spectat, posteriori, ciuili etiam aliquatenus subdatur: Non quòd *Principes* possint, quid sit hæresis determinare, sed tamen quòd valeant hæreticos mulctare, vbi in bonum publicum hæreticas propositiones defendendo deliquerint: Nam possunt delictis, quorũ iudicium ad Ecclesiasticum tribunal pertinet, supplicia etiam quatenus pacem Reipublicæ perturbant, decernere. Atq; ita Imperatores Christiani plurima edicta grauissimas pœnas continentia aduersùs hæreticos conscripserunt, quorum legibus Sacra Inquisitio nixa hæreticos pœna capitali etiam *Romæ* castigat, vt ex literis Apostolicis *Innocentij* quarti, *Alexandri* quarti, & *Clementis* quarti apertè[t] colligitur.

Rex enim, ait Dominicus Bannes, [u] *punit hæreticos vt hostes seditiosissimos contra pacem Regni, quæ sine vnitate Religionis seruari non potest.* Et paulò inferiùs, *Ex quo*, inquit, *sequitur, quòd Rex Secularis possit condonare aliquãdo pœnã capitis, & hæreticos punire alio modo.*

t *Habentur inter literas Apostol. in fine Directorij Inquisit p.18.27.& 44.*

u *2a. 2æ. q. 11. ar. 4. q. 1. in fine*

11. Non

11. Non igitur ego, ſed *Doctor* iſte fora confundit, dum pœnas, ex quibus fora potiſſimùm diſtinguũtur, quaſcunque temporales, tam criminales, quàm ciuiles, & quod mirabilius eſt, extremum etiam mortis ſupplicium, ad forum Eccleſiaſticum ex *Chriſti* inſtitutione pertinere poſſe affirmat. Sed mea doctrina ex pœnis fora rectiſſimè diſtinguit, & ex natura ſua, *Chriſtiq́;* inſtitutione, actibus, officijs, pœniſque diſtincta eſſe optimè commonſtrat. Quæ autem pœnæ ex ſententia *Almaini*, quæ, vt ipſe ait, *plæriſq́; Doctoribus placet*, foro Eccleſiaſtico ex *Chriſti* inſtitutione competant, ſuperiùs [x] indicauimus.
§.7.*num*.3. Nam quas pœnas ius poſitiuum, & *Principum* priuilegia foro Eccleſiaſtico conceſſerunt, non eſt mihi inſtitutum iam examinare.

§. 14.

§ 14.

1. D*Ecimo quartò, Doctor* iste ait,[a] *me* num. 245. *asserere probabilem esse opinionem, quòd Exodi* 20. *prohibitum sit facere quascunque Imagines.* a *Pag.* 9.

Hac assertio, inquit ille, *repugnat Scripturæ, & Patribus, vt in Responsione ad istum locum ostendemus, & fauet hæreticis Iconomachis.*

2 Veruntamen *Doctor* iste in hac mea assertione, et recensenda, & impugnanda fraudulenter agit. Verba
" enim mea hæc sūt. Sicut etiā ob pe-
" riculū Idololatriæ omnis Imaginū
" vsus ipsis Iudæis interdictus erat
" Exod. 20. vt multi doctissimi Theo-
" logi, quos refert, & sequitur *Gabri-*
" *el Vasquez*, [b] probabiliter existi-
" mant; neque tamen inde sequitur,
" præceptum illud fuisse morale, &
" consequenter iam Christianos ob-
" ligans, ne vllas omnino Imagines

b *Tom.* 1. *in* 3[am] part *disp.* 104. *cap.* 2. *seu lib.* 2. *de* Adoratione *disp.* 4. *cap.* 2.

"scilicet ad vsum depingant: Similem "enim prorsus ratiocinationem posset quis conficere.

"3 *Prohibetur populus Iudaicus "Exod. 20. vllas Imagines aut statuas* "(ad vsum scilicet, ita enim opinionem Vasquez superius retuli) *effin"gere, vt probabilis fert opinio, ne videlicet Iudæi inde ad Idololatriã pertra"herentur, ergo propter idem periculum "prohibentur Christiani Imagines vllas, "aut statuas* (ad vsum scilicet) *effin"gere. Nam illud præceptum morale est, "& naturali æquitate nititur.* Hæc sunt verba mea eo loco num. 244. & 245.

4 Iam quod ad primam partem huius meæ assertionis circa *Imaginum vsum* spectat; *Doctor* iste in eo loco, [c] ad quem Lectorem remittit, affirmat *tria hîc a me referri, quæ omnino vera non sunt.*

[c] Cap. 9. pag. 425. 426. 428.

Primo, *verum non esse, præceptum Decalogi, quo prohibetur Imaginum vsus, non esse omnino morale, & Christianos etiam obligans. Nam illo præcepto non prohibetur omnis Imago, sed solum illa, quæ potest dici Idolum, id est, Ima-*

go, quæ habetur pro Deo, vel quæ repræsentat, tanquam Deum, eam rem, quæ non est Deus. Cum enim dicitur, Non habebis Deos alienos, prohibetur actus interior idololatriæ: cum autem additur; non facies tibi sculptile; prohibetur actus exterior.

Itaque hoc præceptum naturale, siue morale est, & Christianos æquè, ac Iudæos obligat. Vide Card. Bellarminum * lib. 2. cap. 7. de Ecclesia triumphante, vbi ostendit ex Patribus, omnia præcepta decalogi esse moralia, excepto præcepto de Sabbato, quod partim est morale, partim cærimoniale. Et si præceptum, Non facies tibi sculptile, & omnem similitudinem, non intelligeretur ad colendum ea, fore vndecim, vel duodecim præcepta: cum tamen Scriptura disertis verbis dicat, esse verba decem.

* Vide etiam Vasquez hoc loco, qui omnia argument Card. Bellarmini vel ex Patribus, vel aliundè desumpta perspicuè dissoluit. Sed Doctor iste Responsiones, quas Vasquez adducit, fraudulenter tacet.

5 Secundò, verum non esse quòd Widdringtonus dicit, a Vasquez citari multos doctissimos Theologos, qui existimant, omnem Imaginum vsum ipsis Iudæis interdictum esse. Vasquez enim dicit quidem multos Auctores in ea esse sententia, & citat omnino quatuordecim, tamen ex illo numero detrahit quinq; præcipuos, Alexandrium,

Alexandrum, Bonauenturam, Albertum, Marsilium, & Abulensem. *Mihi quoque*, ait *Doctor* iste, Dominicus a Soto, Martinus de Aiala, & Alanus Copus (quem falsò *Cardinalem* appellat) *ex illo numero eximendi sunt. Remanent igitur*, ait *Doctor* iste, *sex omnino obscuriores, & cum cæteris nullo modo conferendi, qui contra communem Patrum, & recentiorum sententiam loquuntur: ex quibus* Henricus quodl. 10. q. 6. *ante medium, obiter tantùm, & quasi per transennam eius rei vno tantùm verbo meminit* [In veteri, *inquit*, Testamento non erat Imaginum vsus] *& vix dubito, quin eodem modo explicandus sit, alioquin nimis crasse erraret, & sacris literis expresse repugnaret.*

6 Tertiò, *verum non esse, quod dicit* Widdringtonus, Gabrielem Vasquez *sequi sententiam eorum, qui docent, illo præcepto prohibitum omnem Imaginum vsum. Sic enim loquitur*; Respondeo igitur, non fuisse vetitam omnem similitudinem, aut effigiem quomodocunque, sed omnem cultum, & adorationem ipsius, atque adeo omnem

nem quoque Imaginem, seu effigiem modo accommodato adorationi erectam, aut constitutam. Hæc Vasquez; *qui in eo quod dicit, Imagines non esse prohibitas nisi in ordine ad adorationem conuenit cum sententia cõmuni: in eo verò quod videtur affirmare, fuisse prohibitam, non solùm adorationem propriam Deo, sed omnem cultum etiam non proprium Deo, est opinio eius singularis, nec video qua ratione defendi possit, cum Deus ipse explicet quod dixit, cum ait*, Deos aureos, & argenteos non facietis vobis Exod. 20. *vbi solum prohibentur Imagines, quæ habeantur pro Dijs. Et præterea satis constat ex Patribus, apud Hebræos aliquas Imagines venerationem habuisse religiosam, quamuis non diuinam.* S. Hieronymus *in epist. ad Marcellam sub nomine Paulæ, & Eustochij dicit*, ab Hebræis adorari solitam Arcam, in qua erant Cherubin. *Et S.* Augustinus *lib. 3. de Trinit. cap. 10. inter signa, quæ habebant religiosam venerationem ponit serpentem æneum, quem aspicientes sanabantur. Vide etiam* Ioannem Damascenum *lib. 4. de fide cap.* 17. Hæc *Doctor* iste.

7 Sed hæc omnia confutare facillimum est. Ad *primùm* enim Respondeo. An *absolutè verum*, vel *falsum* sit, præceptum Decalogi, quo prohibetur Imaginum vsus, non esse omnino morale, & Christianos obligans, non erat mihi tunc, nec iam est animus, cum præsenti instituto parum inseruiat, affirmare. Hoc solum obiter, & quasi per transennam eo loco asserui, *probabilem* esse *sententiam*, quam *Vasquez* sequitur, & pro qua multos doctissimos Theologos citat, quòd scilicet omnis Imaginũ vsus ipsis Iudæis Exod. 20. prohibitus fuerit. Neque hanc meam assertionem falsum esse, aut probat, aut probare potest *Doctor* iste.

8 Negat enim *Vasquez*, illius tantùm Imaginis vsum ibi prohibitum esse quæ habetur pro Deo, aut illa verba, quæ in fine capitis habentur, *Deos aureos, & Deos argenteos non facietis vobis*, esse explicationem illorum, *Non facies tibi sculptile*, aut in his verbis, *Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem &c.* (id est nullã, ait *Vasquez*) *Non adorabis ea neque*

coles

coles, prohiberi tantùm exteriorem actum Idololatriæ, qui & Iudæis, & Christianis naturali iure interdictus est. Sed *Vasquez* ait, illis verbis prohibitum fuisse Iudæis, ob periculum Idololatriæ, in quam propensissimi erant, ne vllam omnino Imaginem, etiam ipsius Dei veri aut facerent, aut adorarent. Vnde *Deuteron* cap. 4. scriptum est, *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua loqnutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ, similitudinem omnium iumentorum quæ sunt super terram &c.*

9. *Quibus verbis*, ait, *Vasquez* [d], *planè indicat Scriptura, non solum prohibuisse id quod iure naturali non licebat (colere scilicet Imaginem pro Deo) sed etiam ipsum Deum verum in aliqua eius similitudine adorare; atque adeo omnem vsum imaginis ipsius Dei abstulisse &c. Quamuis ergo finis præcepti fuerit, ne populus ad idololatriam, ad quam nimis erat propensus, declinaret, substantia tamen illius fuit, vsum quemlibet Imaginum auferre.* Vide *Vasquez* eo loco,

d *cap.3.num.*10

vbi

vbi hunc locum *Deut.* fuse prosequitur.

10. Ad auctoritatem autem *Irenai*, qui asserit, [e] *omnia pracepta Decalogi esse naturalia pracepta præter illud de Sabbati sanctificatione, quod cæremoniale est*, & *Augustini* qui docet, [f] *adhuc à Christianis Decalogum obseruari, præter illud de Sabbati sanctificatione*; Vasquez [g] *respondet, omnia præter illud Sabbati verè esse iuris naturalis, & adhuc à Christianis obseruari, etiam primum. Esse enim aliquid cærimoniale in primo præcepto, veluti additamentum illius, quod iam cessauerit, nihil obest, quo minùs dicatur præceptum naturale, & adhuc permanere, quia id quod in eo præcipuum est, adhuc perseuerat, scilicet,* Non coles Deos alienos; *cuius veluti appendix est,* Non facies tibi, *id est, ad vsum tuum,* sculptile, *quod sub eodem præcepto contineri diximus. Quare Catarinus fatetur, & omnes Auctores posterioris sententia concedere tenentur, primo præcepto aliquid etiam cærimoniale additum fuisse, tametsi ipsum fuerit naturale, secundùm id, quod in eo præcipuum est.*

e *Lib.* 4. *contra hæres cap.* 31.

f *Lib.* 19. *contra Faustum c.* 18. *& lib.* 3. *contra duas Epistolas Pelagij cap.* 4

g *cap.* 7.

11. Ad

11. Ad illud autem de decennario præceptorum Decalogi numero *Vasquez* [h] respondet *primò, non sine probabilitate dici posse, esse quidem decẽ precepta, etiamsi primum illud in duo diuidatur, ita tamen vt decimum illud* Non concupisces, *non distribuatur in alia duo, vt graues quoque Doctores arbitrantur*, Iosephus *lib. 3. antiquit. cap. 6. & 8.* Origenes *hom. 8. in Exod.* Ambrosius, & Hieronymus *in cap. 6. ad Ephesios*, Procopius, & Rupertus, *in cap. 20. Exodi.*

h Eodem c. 7.

12. Sed quoniam *Vasquez* existimat, illud vltimum præceptum, *Non concupisces*, in duo distinguendum esse, ob rationem, quam ibi declarat, Respondet *secundò, duo illa*, Non facies sculptile, neque vllam similitudinem, & non adorabis ea, *pro vno & eodem precepto poni, cum eodem perpetuo tenore verborum proferantur, & ad eandem virtutem Religionis obseruatio vtriusq; & ad idem peccati sacrilegij transgressio vtriusq; pertineat. Nam quamuis facere sculptile ex se non sit contra Religionem, lege tamen positiua id prohibente in materia sacrilegij contra religionem constituitur.*

tuitur. Hanc enim vim habet positiua lex, vt id, quod præcipit, in materia necessaria illius virtutis ponat, cuius intuitu aliquid iubet; contra vero in materia oppositi peccati id quod prohibet. Cum ergo lex diuina positiua prohibuerit facere statuas, vel Imagines, ne essent occasio Idololatriæ, in materia religionis obseruationem illius posuit, & contra in specie sacrilegij ipsam transgressionem. Atque hæc de primo istius *Doctoris* dicto sufficiant.

13. Ad *Secundum* respondeo. Verissimum etiam est, quod eo loco asserui, nempe, *multos doctissimos Theologos à* Vasquez *citari, qui existimant, omnem Imaginum vsum ipsis Iudæis interdictum esse.* Octo à *Vasquez* in hanc sententiã citari concedit *Doctor* iste; Et quî fieri potest, vt iam adeo sui immemor *octo Auctores multos* dici posse inficietur, qui antea *duos* tantùm, aut *tres* Auctores *non paucos* appellare non dubitauit. An autem tres illi, quos *Doctor* iste è numero illorum octo eximit, verè eximendi sint necne, iam non disputo; ad quæstionem enim præsentem parum refert, & suffi- cit

i *Supra* §. 6. *num.* 1.

cit mihi, quòd *Vasquez* ex sententia etiam istius *Doctoris* octo citauerit, & propterea verissimum esse, quod dixi, *multos in hanc sententiam à* Vasquez *citari*, cum præsertim *Doctor* iste *duos*, aut *tres* Auctores, non *paucos* Auctores superiùs appellauerit.

14. Quod autem *Richardus de Media villa, vir in diuinis Scripturis apprimè doctus*, vt *Posseuinus* [k] ex *Sixto Senensi* refert, *Henricus* de *Gandauo*, *propter insignem doctrinam*, vt ait idem *Posseuinus*, [l] à Soto *commendatus*, & *in Parisiensi Academia Doctor solennis cognominatus*, *Dominicus* à Soto, *summus Theologus*, *teste Sixto Senensi*, [m] *Ambrosius Catarinus*, quem idem *Sixtus* ob vitæ Sanctitatem, & singularem eruditionem plurimùm extollit, [n] *Martinus* de Aiala, *Franciscus* Horantius, *Iodocus* Clichtovæus, *Alanus* Copus, seu quicunque illorum Dialogorum Auctor sit, quos omnes à *Vasquez* in hanc sententiam citari, *Doctor* iste concedit, viri etiam doctissimi omnes fuerint, nemo nisi planè indoctus affirmare potest.

k *In verbo* Richardus *de Media villa.*

l *In verbo* Henricus *de Gandauo.*

m *Lib. 4. Biblioth. sanct. in verbo* Dominicus *à Soto.*

n *Ibidem in verbo* Ambrosius *Cathari-nus.*

15. *Sed non sunt cum cæteris*, qui

M oppositum

oppositum sentiunt, *vllo modo confe-rendi*, ait *Doctor* iste. Primùm esto. Sunt tamen omnes viri doctissimi, quorum proinde sententiã tanquam omnino improbabilem, eosque tanquã nimis crassè errantes, cũ præsertim omnia argumenta in vtramque partem allata & viderint, & examinauerint, nemo absque crassa temeritate condemnare potest. Deinde, etiam cum cæteris Auctoribus, qui contrarium sentiunt, esse *conferendos*, neque *inferioris notæ* censendos, ipsemet etiam *Vasquez*, vt statim apparebit, disertis verbis affirmat. Sed pudet me profectò, ac piget in huiusmodi friuolis argumentis confutandis tempus consumere.

16. Ad *tertium* Respondeo. Verissimum etiam est, quod ibidem asserui, nempe, Gabrielem Vasquez *sequi sententiam eorum, qui docent illo præcepto* Exodi 20. *prohibitum esse Iudæis omnem Imaginum vsum*: Sunt emim hæc expressima ipsius *Vasquez* verba, vt mirum sit, qua fronte *Doctor* iste Lectorem tam turpiter deludere non erubescat. *Non pauciores*, inquit

quit *Vasquez*, [o] *nec inferioris notæ Auctores oppositam opinionem, quæ mihi multo probabilior semper visa est, amplectuntur, Iudæis nimirum, non solùm adorationem illam Gentilium, qua naturali iure prohibita est, verùm etiam quẽlibet vsum Imaginum, & statuarum præcepto Dei positiuo* Exodi 20. *fuisse interdictum.* Quid clarius? Et infra, *Non ergo*, ait *Vasquez*, *solum cultum Idololatriæ, sed quamuis adorationem, & vsum Imaginũ lex illa Iudæis prohibuit.* Quæ verba sæpe sæpius ibidem repetit. Qua ergo fronte audet *Doctor* iste ita inuerecundè affirmare, *verum non esse, quod dicit* Widdringtonus, Gabrielem Vasquez *sequi sententiam eorum, qui docent, illo præcepto prohibitum omnem Imaginum vsum.* o cap. 2.

17. Quomodo autem *Doctor* iste hanc *Vasquez* sententiam *opinionem illius singularem* rectè appellet, ego sanè non intelligo, cum quinq; saltem viros pereruditos hanc etiam *Vasquez* sententiam sequi ipsemet fateatur. Et tametsi *Doctor* iste affirmet, *se non videre, qua ratione defendi possit*, qui tamen *Vasquez* legere, eiusq; doctri-

nam æqua lance expendere voluerit, clarè videre poterit, quòd optima ratione defendi possit; eamq; *Vasquez* defendat. Nam & suam sententiam ex Sacra Scriptura, Sanctisq; Patribus optimè confirmat, & argumenta omnia, quæ vel à *Doctore* isto, vel à Card. *Bellarmino* in suis controuersijs afferuntur, perspicuè dissoluit. Quin etiam suam sententiam auctoritate ipsiusmet *Damasceni*, qui pro præcipuo contrariæ sententiæ Auctore citari solet, ita corroborat.

18. *Hæreticis enim obijcientibus Imaginum prohibitionem in veteri Testamento factam* Damascenus *his verbis respondit.* p Vides quomodo vitandi simulachrorum cultus gratia, Imagines fieri vetat? *Cultum intellige latriæ, de quo ante locutus fuerat; existimauit ergo ad euitandum cultum latriæ, Imaginibus exhibitum tanquam Dijs, hoc est idololatriam, ad quam illi erant propensi, vsum Imaginum ipsis non fuisse concessum. Et paucis interpositis:* Iudæis igitur, *ait Damascenus*, quoniam ad simulachra colenda erant propensiores, hæc iussa sunt; nos autem, quibus,

p *Orat.* 1 *de Imaginibus.*

bus, vt Theologicè loquar, datum eſt, vt ſuperſtitioſum errorem fugientes, & veritatem cognoſcentes, purè cum Deo verſemur, eique ſoli ſeruiamus, infantiamque prætereuntes, in virum perfectum euadamus, non ſumus amplius ſub Pædagogo. *Intelligit (ſub lege & antiqua prohibitione) Hactenus Damaſcenus.*

19. *Qui ſi exiſtimaret, vt Doctores prioris ſententiæ docent, non quemlibet vſum Imaginum, ſed ſolum cultum idololatriæ Iudæis fuiſſe prohibitum antiqua lege, non diceret, nos ampliùs non eſſe ſub Pædagogia legis, ſub qua illi fuerunt, vt nobis iam Imagines concederentur. Cum enim ad cultum idololatriæ nullo iure fuerint permiſſæ, ſed omni lege etiam naturali prohibitæ, adhuc nos eſſemus ſub hac legis pædagogia, ſicut & populus ille ex hac parte ſub illa fuit. Cũ igitur dicat nobis ceſſaſſe legis pædagogiam, qua populus ille inſtitutus aliquando fuit, planè loquitur de lege poſitiua cæremoniali, quæ omnem etiam licitum vſum Imaginum vetabat. Non ergo ſolum cultum idololatriæ, ſed quamuis adorationem, & vſũ Imaginum lex illa Iudæis prohibuit.*

20. *Quare cum* Damascenus lib. 4. de fide cap. illo 17. *propriori sententia citatus dixit*, Scripturam solùm insectari eos, qui adorant sculptilia, & dæmonijs sacrificant, *non putauit hoc solum lege veteri prohibitum fuisse, sed ostendit, hunc fuisse finem illius, vitare videlicet Idololatriam, ob quam causam Deus in vniuersum prohibuit omnem similitudinem, & picturam, ne populo illi ad hoc genus peccati propenso occasio esset ruinæ, Quæ ratio in populo Christiano adeo benè instructo locum non habet.* Hæc *Vasquez* [q].

q Cap. illo. 20.

21. Ad illud autem de *Arca, Cherubinis*, & *Serpente æneo*, quibus cultus aliquis exhiberi videbatur, ait *Vasquez primò*, [r] *responderi posse cum* Catharino, *eas omnes figuras, seu Imagines factas fuisse iussu* Dei, *qui præcepto suo omnino, aut ex parte derogare potuit. Solo enim positiuo Dei præcepto diximus, probibitum fuisse in eo populo Imaginum vsum, vt ita, inquit* Catharinus, *Deus ostenderet, ex se malum non esse imagines, aut similitudines effingere.*

r Cap. 6.

22. *Secundo*, *Vasquez* discrimen assignat inter cultum *Imaginum*, & *Arca.*

s Cap. 4.

Arcæ. In veteri enim Testamento, ait *Vasquez, Deus potiùs prohibuit, Imaginum cultum, quàm Arcæ, & Propitiatorij, optima quidem ratione. Oportebat enim proponere illi populo aliquod sensibile, in quod cultu, & adoratione moueretur: Multo autem commodius fuit, in ea forma & figura proponere, in qua nullum erat Idololatriæ periculum; tales fuit forma Arcæ, & Propitiatorij. Nulla enim tam barbara natio vnquam fuit, quæ Arcam vt Deum adoraret: at Imagines, & statuæ multis Gentibus pro Idolis, ac Dijs fuerunt: oportuit ergo illas non exhibere populo in Idololatriam propenso.*

23. *Tertiò, Serpenti æneo* nullum cultum à Iudæis exhibitum fuisse *Vasquez* opinatur. Ità enim scribit, [t] *Verùm ex Scriptura solùm constat, Serpentem æneum propositum fuisse populo aspiciendum; cumq; ille aspectus, etiam gratia recipiendi sanitatem, non videatur esse aliqua submissionis nota, non erit dicenda adoratio; nullus verò alius cultus iussu Dei illi exhibebatur; Signum ergo est, illum nunquam fuisse adoratum; id quod mihi maximè probabile sit. Quoniam cum populus ille nimis esset in Idolo-* [t] Cap. 5.

latriam propensus, & ne in illam laberetur, Deus ipsi interdixisset omni Imaginũ vsu & veneratione, vt probatum manet, credendum non est, eodem cum periculo, immo cum maiori, Serpentem æneum adorandum exposuisse: Maiori, *inquam,* cum periculo, *quoniam si ei adorationis nota exhiberetur, & se illi populus submitteret, recipiens ab eo integram sanitatem, facilius ipsum tanquam Deum haberet, quàm aliam Imaginem, à qua nullum beneficium recipere videretur. Iussit ergo Deus eos erectos, & stãtes absq; vlla submissionis nota, & adoratione in ipsum aspicere vt tota animi reuerentia, & affectus in Deum Auctorem illius ferretur, nullam vero corporalem adorationem, aut submissionis notam in eum dirigerent.*

24. *Quare, quando* Ezechias *ipsum confregit, quòd videret ei incensum adoleri, cum tamen in solam memoriam præteriti beneficij à Deo accepti in populo illo seruaretur; non ideo fecit, quia existimaret, à populo pro Deo iam coli, & adorari, sed quòd aliquem cultum, qualem etiam Imaginibus deferre nos consueuimus, qui omnino erat illi populo prohibitus, videret ei adhiberi. Adolebant enim illi in-*

censum

censum; nec aliam causam, ob quam Ezechias *ipsum confregit, Scriptura nobis exposuit: at incensi oblatio non est proprie sacrificium soli Deo debitum, sed quæ etiam rebus inanimis, aut Imaginibus defertur*, vt notaui disput. 96. cap. 7. *Quare nisi* Ezechias *vidisset, omnem cultum, & adorationis signum illi populo fuisse prohibtum, non confringeret Serpentem, quia solùm videret ipsi incensum adoleri. Sciebat enim etiam in lege veteri rebus inanimis iussu Dei incensum offerri: Siquidem Sacerdos ingrediebatur tabernaculum cum thuribulo, & Arcæ, atq; Propitiatorio incensum adolebat, non tamen propterea ipsi sacrificabat.*

25. *Nec solùm post præteritum illud sanitatis recuperatæ benificium in deserto non licebat Serpentem adorare, verùm etiam nec refert Scriptura, in deserto incenso, aut alio signo reuerentiæ, Serpenti exhibitam fuisse adorationem, sed simpliciter aspiciendum populo fuisse propositum. Postea verò in solam benificij recordationem seruatum esse satis apparet, cum nec Scriptura vsquam referat, aliquem ei cultum delatum, immo nec publicè, vt aspiceretur à populo ad recipiendam sanitatem*

tem amplius propositum fuisse. Quod verò Philaster *cap.* de hæresi ob æneum Serpentem, *dicit, ideo ab* Ezechia *confractum, quia ei populus sacrificabat, non de sacrificio soli Deo debito, sed de oblatione illa incensi, quæ quodammodo dicitur sacrificium, intelligi debet. Atq; ex eo quoq; argumentum sumi potest ad probandum*, Serpentem *non fuisse tanquam* Deum *adoratum, quòd ei nunquã populus animalium sacrificium obtulit, sed solum incensi; cum tamen Idolis, quæ pro Dijs habentur, sacrificia animalium ab ipsorum cultoribus immolentur.* Atq; ex verbis S. *Augustini* non posse probari, aliquem cultum religiosum *Serpenti æneo* actu à Iudæis exhibitum fuisse ostendit *Vasquez* eo loco.

26. *Quartò*, *Vasquez* affirmat, [u] *neq; Cherubinis, neq; alijs figuris in templo factis aliquem cultum fuisse delatum, sed ad ornamentũ tantùm, & Maiestatẽ Arcæ, quæ Dei gloriam, & thronum repræsentabat, & non ad recordationem exemplarium, quæ in ipsis colerentur, positas esse.* Ex quo etiam infert, *nunquam Cherubinis aut ex auro fusili, aut ex lignis oliuarum, à Summo Sacerdote ingrediente*

u Cap. 6.

diente semel in anno Tabernaculum, honorem, aut adorationem adhibitam fuisse, aut osculo, aut genuflexione, aut oblatione thuris, aut alio signo peculari ad ipsos directo, sed totum illius cultum, & venerationem in Arcam ipsam, & propitiatorium, tanquam in thronum, & suppedaneum ipsius Dei fuisse relatam : ita vt signa honoris externa Arcæ, & Propitiatorio exhiberentur, animus autem Sacerdotis in Deum, qui ibi sedebat, & responsa dabat, non in Angelos ipsos, qui erant exemplaria illarum figurarum, esset intentus. Nec quisquam nisi ex suo cerebro, & absq; vllo fundamento contrariũ poterit affirmare.

27. *Cum vero* Damascenus *lib.* 4. *de fide cap.* 17. *videtur asserere*, Cherubinis exhibitam adorationem, *nihil aliud docere voluit, quàm ipsis non separatim à toto Propitiatorio, tanquã Imaginibus Angelorum, sed coniunctim cum tota Arca, tanquam throno Dei, honorem aliquem exhibitum fuisse, quod non inficiamur. De adoratione enim illorum per se ratione sui exemplaris nunc solum disputamus. Hoc ipsum ex epistola* 17. Hieronimi *ad* Marcellã *nomine* Pauli

&

& Eustochij, *& nihil aliud colligitur. Nec enim ibi tantùm dicitur*, Sancta Sanctorũ in veneratione illi populo fuisse, quia ibi erãt Cherubin, *sed additur etiam*, & Propitiatorium, & Arca Testamenti, manna, & virga Aaron, & altare aureum. *Non quia per se Cherubin adorarentur, sed quia hæc omnia simul, vt diximus, venerandum efficerent totum tabernaculum, vt omnibus simul vna adoratio corporalis exhibita in Deũ Auctorem omnium spiritu directa transiret.*

28 *Id quod clarissimè testatur* Athanasius,[x] *cuius verba refert* Damascenus,[y] *ostendens enim modum, quo nos Imagines colimus, inquit*; Sicut & Iudæus olim legis tabulas, & duo Cherubin aurea, & sculptilia quondam adorabat, non lapidis, auriue naturam colens, sed Dominum, qui ea vt fieret præceperat: *Vbi non dicit, per statuas illas adorasse ipsos Angelos, quos representabant, sed Deum Auctorem, in cuius laudem, & maiestatem cũ Arca, & reliquis omnibus posita erant.* Hæc, & plura alia *Vasquez* respondet ad auctoritates illas Sacræ Scripturæ de

x *Lib. de quæst. ad Antiochum cap. 38.*
y *Orat. 3 de Imaginibus.*

Arca,

Arca, Cherubinis, atque *ſerpente æneo:* Sed prima reſponſio *Catharini* ad argumentnm huius *Doctoris* inde deſumptum diluendum abundè ſufficiet.

29 Quod ad alterâ partẽ meæ aſſertionis attinet, *nempè Iudæis prohibitum eſſe* Exodi. 20. *vllas Imagines, aut ſtatuas effingere*, nimirum per ſe ſolas, aut ad vſum, vt cultus aliquis illis exhiberetur, in quo ſenſu ego, & *Vaſquez*, qui ſæpius affirmat, non licuiſſe Iudæis vllas Imagines, aut ſtatuas effingere, aſſertionem illam intelleximus, *Doctor* iſte ait, *non eſſe opinionem probabilem, cum repugnet Scripturæ, Sanctis Patribus, & faueat Iconomachorum errori. Certè Moyſes iuſſu Dei fecit ſerpentem æneum &c. Vide Bellarminum lib. 2. de Eccleſiæ triumphante cap. 7. & ſeq.*

30 Sed inprimis, quòd opinio hæc non ſit probabilis, aut Sacræ Scripturæ, Sanctiſque Patribus repugnet, aut Iconomachorum errori faueat, ſicut *Doctor* iſte abſque ſufficienti fundamento affirmat, falſum omnino eſt, & ipſe viros tam eruditos

temeritatis

temeritatis labe adeo temerè cõdemnans a magna temeritate excusari non potest. *Primo* enim *Vasquez* hanc suam sententiam ex Scriptura sacra, & ex antiquis Patribus & Scriptoribus *Tertulliano*, [z] *Origine*, [a] *Iosepho*, [b] atque *Corneleo Tacito* [c] confirmat. *Apud quos*, (Iudæos) ait *Origines*, *nullum aliud numen erat receptum*, *quàm Deus huius rerum vniuersitatis Præses*, *procul ablegatis omnibus simulacrorum opificibus. Nam in ciuitate eorum nullus pictor admittebatur*, *nullus statuarius* (qui nimirũ Imagines aut statuas per se solas, & adorationi accõmodatas effingeret) *legibus totum hoc genus arcentibus*, *ne occasio præberetur hominibus crassis*, *neue animi eorum a Dei cultu auocarentur*.

z *Lib.4.contra Marcionem cap.22.*
a *Lib.4.contra Celsum.*
b *Lib.1.& 2. contra Appionem.*
c *Lib.5.Historia.*

31 Deinde, *Vasquez* omnia argumenta, quæ vel *Doctor* iste hoc loco, vel Card. *Bellarminus* in suis Controuersijs in contrarium adducunt, perspicuè dissoluit, atque commonstrat, nullam Imaginem in Testamento veteri factam esse, quæ vel speciali Dei iussu, qui in illo præcepto *Exod.* 20. cum positiuum sit, dispensare potuit, fact

facta non sit, vel non ad vsum & cultum, sed tanquam appendicem, & ornamentum aliarum rerum, & non per se solam, quod vtique nunquam negaui, factam esse.

32 Præterea, quòd hæc *Vasquez* opinio Iconomachis faueat, illisque arma subministrare videatur, falsum omnino esse ipse ostendit. [d] Nam *tametsi illis concedamus*, ait *Vasquez*, *in veteri lege omnem Imaginum vsum, & cultum fuisse prohibitum, hinc non licebit deducere, iure quòque naturali vetitum fuisse; nam & multa alia fuerunt in ea lege prohibita, quæ iure naturali permissa erant.*

Hæc sunt, Bme *Pater*, potissima omnia *argumenta*, quæ contra doctrinam *Vasquez* de cultu Imaginum Iudæis in veteri lege prohibito, a me exempli tantùm gratia, & quasi obiter in mea Apologia allatam adduci solent, & *Responsiones* pariter, quas *Vasquez* eisdem adhibet, a me fideliter enarratæ; in quibus recensendis paulo prolixior fui, vt *Sanctitas vestra* perspicuè intelligat, quàm parum sincerè *Doctor* iste in hac controuersia per-

tractanda

tractanda se gesserit, & quàm iniuriosè & me, & *Vasquez*, (qui, si iam in viuis esset profectò *Doctor* iste ita eum insectari nequaquam auderet) tanquam *crassè errantes*, & *doctrinam, quæ Scripturæ sacræ, Sanctisque Patribus repugnet, atque Iconomachis faueat, propugnantes* traduxerit, cum illa tantùm *argumenta*, quæ *Vasquez* contra seipsum obijcit, nudè proponat, & *Responsiones*, quas *Vasquez* eisdem argumentis affert, omnino dissimulet, ac si Lectori persuadere vellet, *Vasquez* argumenta sua aut non vidisse, aut diligenter non expendisse.

---

§. 15.

I. DEcimò *quintò*, ait *Doctor* iste, *me* num. 465. *Docere non esse obediendum Summo Pontifici, nisi constet, eum habere auctoritatem iubendi id, quod iubet.*

Atque hinc me multa perniciosa colligere ait *Doctor* iste. *Nec enim nisi perniciosum*

niciosũ ex tam vitioso principio deduci poterat. Hoc enim principiũ euertit omnem obedientiam. Nam si hoc principium verũ est, poterunt semper omnes subditi in exquendis Superiorũ suorũ, siue Seculariũ, siue spiritualium mandatis tergiuersari, & petere, vt probet Superior se habere talia, vel talia iubendi auctoritatem.

2 *Docent quidem Sancti Patres non esse obediendum Superiori, quando manifestò constat, eum non habere iubendi patestatem, aut quod iniquum est iubere (siquidem Deo magis obedire oportere, quàm hominibus Apostolicum axioma est Act. 5. At ijdem Patres docent, semper obediendum esse Superiori, quando aut constat, eum habere auctoritatem iubendi, & iusta mandare, aut non constat, eum non habere iubendi auctoritatem, aut iniusta præcipire. Nam in re dubia standum est iudicio Superioris. Vide quæ dicuntur infra ad hunc locum.*

3 *Demũ is* Widdringtoni *toto libro scopus est, ea intentio, vt sacrosanctã Sũmi Pontificis, Christi Vicarij, Ecclesiæ in terris capitis potestatem diminuat, atque altera sui parte truncet. Contendet enim, nullam esse in Summo Pontifice potesta-*

tem disponendi de temporalibus, neque directè, neque indirectè, neque absolutè, neque in ordine ad spiritualia, atque gladium non esse sub gladio, neque temporalem potestatem subijci spirituali.

4 *Præclarus equidem labor, quo ouis erga Pastorem, filius erga Patrem, homo Catholicus erga Summum Pontificem, Christi Vicarium suum studium & subiectionem declaret, ac profiteatur. Agitur de potestate Summi Pontificis, quà Pontificis, a Christò* Deo, *ac Domino ex primæva institutione illi collata. Eam Sacræ literæ, Sacra Concilia, Summi Pontifices, Sancti Patres, Theologi, Iurisconsulti omnes, vno ore, vnanimi consensu verbo Dei innitentes, amplissimam esse, & summam asserunt, ita quidem vt non possit spiritualia duntaxat, verùm etiam temporalia, quatenus ea spiritualibus subijciuntur, & ad ea referuntur, regere, & gubernare. Nec hac de re inter bonos Auctores controuersia est, licet nonnulla de modo sit discrepantia, dum alij eam potestatem directè ad temporalia extendi, alij indirectè, alij absolutè, alij in ordine ad spiritualia docent.*

5 *Hæretici Pontificiam potestatem*

sese

ſeſe vllo modo ad temporalia extendere negant. Ita Caluinus, Petrus Martyr, Centuriatores, Marſilius de Padua, *& alij de quibus paulo poſt.*

Aduerſarius Widdringtonus *contra Sacras literas, doctrinam Conciliorum, & Summorum Pontificum, vnanimem conſenſum Patrum, & Doctorum hæreticis, Sciſmaticiſq; in oppugnanda, & mutilanda Pontificia poteſtate ſe iungit: Et tamen Catholicus videri vult. Aut igitur deſerat caſtra, aut nomen. Cur quorũ deteſtatur nomen, eorũ in caſtris militat? Quorũ nomen præfert, eorũ ſocietatẽ aduerſatur?* Hæc *Doctor* iſte ſatis virulentè pro more ſuo pag. 9. & ſeq.

6 Sed an mirandum magis, quàm dolendum ſit neſcio, quòd *Doctor* iſte tam pravum aut falſè, aut malè dicendi habitum acquiſierit, vt vix aliqua eius ſententia, qua meam doctrinam impugnat, in toto eius libro reperiatur, quæ aliqua, aut fraude, aut falſitatę cum inuerecunda verborum acrimonia coniuncta, conſperſa non ſit. Etenim in hac etiam aſſertione & proponenda, & impugnanda, ſicut in præcedentibus magna frau-

de, & falſitate vſus eſt. Neque enim ego abſolutè affirmaui, *non eſſe in re dubia ſtandum iudicio Superioris, aut, non eſſe obediendum Summo Pontifici, niſi conſtet, eum habere auctoritatem iubendi id quod iubet.* Scio enim in dubijs ſemper parendum eſſe Superiori, quotieſcunque illi obediendo, legem Dei ſupremi omnium Superioris tranſgrediendi nullum periculum eſt; ſed ego prædictas aſſertiones non *abſolutè* tanquam principia generalia, ſed *limitatè* ad caſum particularem de Principum depoſitione applicatas poſui. Hæc enim ſunt verba mea [a].

[a] Num. 464. 465.

" 7 Inter has opinionum varie-" tates circa praxim hoc potiſſimum " documentum obſeruare ſufficiet, " quòd iuxta regulam Iuris approba-" tam, *In cauſa dubia* (ſiue incerta) " *melior eſt conditio poſſidentis.* Si igi-" tur contingat, Summum Pontifi-" cem Principem quemcunque Chri-" ſtianum, qui bona fide in Principa-" tus ſui poſſeſſione manet, ob ali-" quod crimen per ſententiam de-" priuationis è Principatu eijcere, " cum de eiuſmodi Papali auctorita-

"te Principes Principatu priuandi
"non adhuc ſatis conſtet, ſed apud
"Catholicos ſit controuerſum, non
"licet abſque crimine imminutæ Ma-
"ieſtatis Principem legitimum, non
"obſtante tali depriuationis ſenten-
"tia, è Dominatus ſui poſſeſſione
"exturbare, donec quòd talem Pon-
"tifex habeat auctoritatem Principes
"deponendi, per Eccleſiæ definitio-
"nem fuerit ſtabilitum.

" Neque obſtat *primò*, quòd *in du-
"bijs parendum ſit Superiori.* Nam ſicut
"Summus Pontifex eſt Superior in
"ſpiritualibus, ita in temporalibus
"Princeps Secularis eſt omnium Su-
"premus.

" 8 Neque *ſecundo*, quòd *in du-
"bijs tutior pars ſit eligenda*, multo
"autem tutius videtur eſſe obtempe-
"rare Principi ſpirituali, qui Salua-
"toris noſtri *Ieſu Chriſti* Vicarius eſt
"in terris, quàm iuſſum ſequi Princi-
"pis, præſertim hæretici, populo ſibi
"ſubiecto imperantis, vt ipſi obedi-
"ant. Non enim ſecurius, ſed multo
"periculoſius eſt, *in tali caſu* Principi
"ſpirituali obedire, ſi non conſtat,

"eum talem habere auctoritatem
"Principes hæreticos deponendi, &
"subditos ab eorum obedientia ab-
"soluendi, & consequenter præcipi-
"endi, ne Principi hæretico in rebus
"licitis obtemperent, quàm parere
"Principi iusta imperanti, qui absque
"vlla controuersia Principatum suũ
"legitimè possidet. Qui enim Princi-
"pem Secularem prorsus renitentem
"è Principatus sui possessione extru-
"dere conatur, in supremo ferme in-
"iustitiæ gradu, quæ omnium scele-
"rum contra virtutes morales est
"grauissimum, absque vlla contro-
"uersia delinquit; qui autem Ponti-
"fici præcipienti, ne Subditi suo
"Principi, quantumvis hæretico, in
"rebus honestis obediant, parere
"neglexerit, quamdiu apud Catho-
"licos, tum pios, tum eruditos incer-
"tum est, an ipse talem præcipiendi
"auctoritatem habeat, nulli omnino,
"nec leuissimo quidem crimini ob-
"noxius esse potest.

" 9 Neque quenquam perterrere
"debet, quòd Summus Pontifex sit
"Christi *Vicarius*, cum Princeps
"quoque

"quoque temporalis *Dei miniſter* ſit, "vt ait S. *Paulus* ad Rom. 13. atque "etiam ipſius Dei, qui eſt Rex Regũ, "& Dominus dominantium, *Vicarius* "in terris, vt *Anaſtaſius* Papa in epi-"ſtola ad *Anaſtaſium* Auguſtum di-"ſertis verbis affirmat. Hæc ego eo "loco.

10 Ex quibus conſtat, me non *abſolutè*, ſed ſolùm *in tali caſu* affirmaſſe, non eſſe obediendum Summo Pontifici Subditis imperanti, vt Principi auctoritate Summi Pontificis depoſito obedientiam non præſtent, ſi non conſtat, eum talem habere auctoritatem Principes deponendi, & conſequenter præcipiendi Subditis, ne tali Principi depoſito in rebus alioquin licitis obtemperent. Cauſam autem, & rationem huius meæ aſſertionis paulo ante declaraui, quoniam *in dubijs melior eſt conditio poſſidentis* Sed *Doctor* iſte illud [*in tali caſu*] more ſolito doloſè prætermiſit, meamque aſſertionem eo modo propoſuit, ac ſi ego *ſimpliciter*, ac *abſolutè*, & abſque vlla *limitatione* aſſeruiſſem, in nullo caſu obediendum eſſe Summo Pon-

tifici, si nòn constat, eum habere auctoritatem iubendi id quod iubet; quæ quidem assertio perniciosa est, veramque obedientiam euertit. Sed ex mea assertione ad casum illum particularem applicata nihil perniciosum colligitur, neque vera obedientia euertitur, sed magis confirmatur, neque eam vllus ex Sanctis Patribus impugnauit, aut ab vllo erudito Theologo impugnari potest.

11 Sed quoniam in obedientiam, quæ in dubijs Superiori debetur, iam incidit sermo, quid nonnulli Doctores Theologi de hac re sentiant, paucis exponam. *Adrianus Papa* sextus, vt *Vasquez* refert, absolutè docet, [b] *non posse inferiorem obedire Præposito, & Prælato, quamdiu dubitat, an id quod præcipitur licitum sit, vel non.* Et hanc *Adriani* doctrinam etiam *Vasquez* sequi videtur [c]. Vnde paulo inferiùs * subdit; *Qua ratione & subditi in Religione, cum non apparet esse iniustum id quod præcipitur, neque dubium aliquod secundùm rationem oritur circa illud, iuxta ea quæ dicta sunt, parere debent Præposito, nec id quod ipse præcipit examinare,*

b *Quod 2. punc 2. ad 2. ad 2*[m].

c 1[a] 2æ *disp.* 67. *cap.* 9. *num.* 51. * *num.* 53.

minare, nec causam illius exposcere, & in hoc casu laudatur a Patribus obedientia caeca, de qua alibi fusiùs disputandum est: Igitur ex *Vasquez* sententia in casu quo dubium aliquod secundum rationem oritur, quod iniustum sit id quod præcipitur, non laudatur a Patribus obedientia cæca. Atque id ipsum *Nauarrus*, [d] *Emanuel Rodriquez*, [e] & nonnulli alij absolutè affirmant.

12 Alij vt plurimùm limitationem quandam adhibent, atque affirmant, quòd, *quando Prælatus aliquid præcipit, de cuius præcepto ex probabili causa subditus dubius est, an sit iustum, necne, non semper tenetur subditus obedire, sed in eam partem inclinandum est, in qua est minus periculi*, ita Dominicus *Sotus*, [f] *Corduba*, [g] *Medina*, [h] *Salon*, [i] *Sayrus*, [k] & alij quamplurimi. Veruntamen *Sotus* paulo accuratiùs, & distinctiùs rem totam declarat.

13 *Quando*, inquit, *præceptum Superioris est de re tuta, vbi nullum imminet periculum, aut bono publico, aut tertiæ personæ, in re dubia vt plurimùm obediendum est. Verbi gratia, præcipit mihi Prælatus studere, aut servire infirmis,* *quæ*

d *De pænit. dist. 7. nu. 81. & 114.*
e *Part. 2. cap. 9. de obedientia*
f *De detegenda secret. memb. 3. q. 2.*
g *Lib. 3. quæstion. q. 8.*
h *Prima secundæ q. 19 ar. 6. dub 4. conclu. 4.*
i *Secunda secunda q. 69 ar. 1. controuers. 3.*
k *Lib. 1.* Thesauri *cap. 13. difficultas octaua proposit. 4.*

quæ sunt opera, vbi nullum imminet periculum, quanquam sit dubium, an id possit præcipere, debeo obedire. Addiderim tamen [vt plurimùm], *quia nec in vniuersum obediendum est in re dubia, quando nullum est periculum, vtputa si res est molesta nimis, & difficilis subdito. Si enim mihi Prælatus præciperet longum iter, & rem difficilem, dubiumque esset mihi ius præcipiendi, non tenerer statim obedire.*

l *In respons. ad primum.*

14 Et infra, [l] idem *Sotus, Prælati,* inquit, *& Iudices, non sunt in possessione respectu Subditorum, nisi quatenus iusta præcipiunt, & ideo quando dubium est, an præcipiant iustum, tunc si sit in præiudicium tertij, quia ille tertius est etiam in possessione suæ famæ, & bonorum, in eam partem inclinandum est, vbi est minus periculi. Neque Prælati, qui præcipiunt, vnde nullum periculum Religioni, aut Reipublicæ, aut tertiæ personæ timetur, constringuntur rationem reddere, sed simpliciter parendũ est illis etiam in dubio, vt supra dictum est quia tunc nullum est periculum, si præsumatur Iudex iustè præcipere. Quando vero eiusmodi periculum imminet, tunc si subditus dubitat,* nihil

nihil facit contra obedientiam, si exigat á Prælato rationem præcepti proponens humiliter rationes dubitandi.

15 Placuit hæc ex *Soto* ad verbum referre, eo quòd *Doctori* huic placere videatur, vt Lector ſuus in tenebris ambulet, neque verum illius propoſitionis, *In re dubia parendum eſt Superiori, eiuſque iudicio ſtandum*, ſenſum perſpicuè intelligat, ſed nudæ tantùm ipſius aſſertioni ita generatim, & abſque vlla declaratione eam affirmantis abſque vlteriori examine fidem incunctanter adhibeat.

16. At *Summus Pontifex*, ait *Doctor* iſte, [m] *eſt Iudex in re ſpirituali, & in materia peccati, illiuſque iudicio acquieſcendum eſt.* Fateor, ſi *iudicet* ex Cathedra in Oecumenico Eccleſiæ Prælatorum concilio ſedens, ſi *iudicet*, vt Caput Eccleſiæ cum cæteris illius membris in Synodo generali, quæ Eccleſiam Catholicam repræſentat, coniunctum, ſi *iudicet* eo modo, quo *Chriſtum* Dominum *iudicandi* poteſtatem illi conſenſiſſe omnes Catholici conſentiunt, ſi pænas ſpirituales, (& non temporales qualis eſt *Princi-*

m Pag. 617.

pum

pum depoſitio, ob quodcunq; crimen ſiue ſpirituale, ſiue temporale fieri prætendatur) infligat. Veruntamen ſi *Summus Pontifex* ſecundùm opinionem tantùm probabilem, quam nemo ſequi tenetur, *iudicet*, ſi ſententia declaratiua in probabili tantum *iudicio* fundata ſit, nemo vir doctus illius *iudicio* ſtandum eſſe, talique ſententiæ declaratiuę neceſſariò acquieſcendum, cum vlla probabilitatis ſpecie affirmare poteſt.

17. *Iudicet* ergo *Summus Pontifex* cum *Concilio Oecumenico*, definiat eo modo, quo definitionem, *iudiciumq́;* ipſius *infallibile* eſſe omnes Catholici conſentiunt, poteſtatem ſibi competere Principes deponendi, & ſubditos ab eorum fidelitate verè abſoluendi, & ſtatim illius *iudicio* acquieſcemus. Interim quamdiu de hac re certant Scholaſtici, & ſub *Iudice* lis eſt, an Papa poſſit Principes deponere, affirmare non dubito, ſententiæ Summi Pontificis Principem, qui Regnum ſuum legitimè poſſidet, deponentis acquieſcendum non eſſe; quin potiùs, quod aliàs [n] inculcaui, eos omnes,

[n] *Vide infra* §. 19.

nes, qui talem Principem è Regni sui possessione, hac lite pendente, deturbare satagerent, summam illi Principi iniuriam irrogare, & si subditi sint, in manifestæ perduellionis crimen incurrere iterum, atque iterum inculcare non reformido.

18. Et quid si *Summus Pontifex* cum *Bonifacio* Papa octauo iudicaret, *Regem Franciæ, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus illi subiectum esse, & contrarium sentientes hæreticos iudicaret*, an forsan *Doctor* iste affirmare auderet, *Regem Franciæ*, eiusq; subditos *Romani Pontificis* iudicio acquiescere oportere?

19. Illa verò, quæ in fine huius capitis *Doctor* iste subiungit, cum ad conuitia spectent, & falsissima etiam esse superius à me ostensum sit, cum multi Auctores Catholici, pij, ac eruditi, non solùm de modo, sed etiam de re ipsa certent, an Papa possit Principes deponere, responsione vix indigent: Atque etiam *Bartholus* pari cum facilitate ipsimet *Card. Bellarmino*, qui ex *Bartholi* sententia doctrinã ab Ecclesia damnatam totis viribus

propugnat,

propugnat, & ſacroſanctam Summi Pontificis Chriſti Vicarij, Eccleſiæ in terris capitis poteſtatem diminuit, atq; altera ſui parte truncat, eandem planè calumniam intendere poſſet, atque etiam cum *Doctore* iſto exclamare: *Præclarus equidem labor, quo ouis erga Paſtorem, filius erga Patrem, homo Catholicus erga Summum Pontificem, Chriſti Vicarium ſuum ſtudium, & ſubiectionem declaret, ac profiteatur.*

Hæretici directam Summi Pontificis in temporalibus Monarchiam ſibi à Chriſto Domino *conceſſam eſſe negant,* talemque poteſtatem non veram, ſed vſurpatam, non à Deo datam, ſed ſibi ab hominibus delatam eſſe aiunt, Ita *Caluinus, Petrus Martyr, Magdeburgenſes, Marſilius de Padua, Dantes, Occam,* & alij.

20. Card. *Bellarminus aduersùs doctrinam ab Eccleſia approbatam hæreticis, ſchiſmaticiſque in oppugnanda, & mutilanda Pontificia poteſtate ſe iungit; Et tamen Catholicus videri vult. Aut igitur deſerat caſtra, aut nomen. Cur quorum deteſtatur nomen, eorum in caſtris militat? Quorum nomen præfert,*

eorum

eorum societatem auersatur? Iam quid, obsecro, de hac *Bartholi* inuectiua sentiret Doctor iste: Sed tædet me profectò in istiusmodi calumnis, quibus liber huius *Doctoris* repletus est, repellendis tot chartas consumere. Neque enim aut *Caluinus*, aut *Petrus Martyr*, aut *Magdeburgenses*, aut *Marsilius*, aut *Dantes*, aut *Occam*, aut alius quicunque, eo quòd potestatem Summi Pontificis Principes deponendi, eiusque in temporalibus siue directè, siue indirectè dominium inficientur, aut hæretici, aut Schismatici à Catholicis Scriptoribus, qui de hæresibus scripserunt, vnquam sunt habiti.

21. Vanum autem, ne dicam ridiculum, illud est, quod *Doctor* iste, & hîc, & alibi sæpiùs tam crebro inculcat, nempe, *vnanimem consensum Patrum* [o] meæ doctrinæ aduersari; cum ipse ne vnum quidem ex antiquis Sanctis Patribus pro potestate Summi Pontificis Principes deponendi confirmanda producat. Summam quidem & amplissimam Supremi Pastoris auctoritatem esse Sancti

o *Vide infra* §. 17.

Patres

Patres vno ore, ac vnamini consensu verbo Dei innitentes asserunt, sed spiritualem non temporalem, à vinculis peccatorum, non debitorum absoluendi, & regnum cæleste, non terrenum benemerentibus conferendi, atque ex ouili Dominico, non politico oues morbidas excludendi. Solum S. *Bernardum* ex antiquis Sanctis Patribus fere nouissimum, quippe qui post mille centum annos à *Christo* nato floruit, pro sua sententia confirmanda profert *Doctor* iste, quem tamen suæ doctrinæ apertissimè refragari, & gladium materialem Summo Pontifici, quà tali, quoad *nutum* tantùm, non quoad *vsum* iure diuino subiectum esse, ab eo *dirigendũ* non *exercendum, pro Ecclesia*, non autem *ab Ecclesia*, exercendum, alibi aduersùs hunc Doctorem clarissimè commonstraui p.

p *Jn Confutat. Tho: Fitzh. part. 2. cap. 9.*

22. Quæ igitur huius *Doctoris* audacia est, *vnaminem Patrum consensum* tam gloriosè venditare, cum ne vnum quidem ex antiquis Sanctis Patribus proferre possit, qui hanc suam doctrinam vel ex illo *Pasce oues*

meas

neas, vel ex illo, *Quodcunque ſolueris*, vel ex alio quouis Sacræ Scripturæ contextu vnquam collegerit, aut de hac Summi Pontificis poteſtate Principes deponendi vel per ſomnium cogitauerit.

23. *Concilia* item *Oecumenica Doctor* iſte ſæpiùs conclamitat, quibus tamen ego abundè ſatisfeci, atq; non Concilia, ſed priuatũ ſuũ ſpiritũ, & priuatam ſuam Conciliorũ contra genuinũ Conciliorũ ſenſum explicationẽ pro ipſis Concilijs Chriſtiano orbi eum obtrudere perſpicuè comprobaui. Sed vtinam in vno aliquo argumento ad ſuam doctrinam propugnandam, meamque impugnandam, vel in Sacra Scriptura, vel in Concilijs, vel in quacunque alia ratione, aut auctoritate fundato *Doctor* iſte ſemel inſiſteret, vt ita veritas ſtatim innoteſceret, & non in circulo ſemper ambularet, neque ab vna ratione ad aliam, ab vno Concilio ad aliud, ab vno Sacræ ſcripturæ contextu ad alium, vt ita Lectoris mentem confundat, ac defatiget, toties confugere vellet.

24. Atque hæc sunt, *B^me^. Pater*, omnia illa dogmata, ob quæ *Doctor* iste in primo capite sui libri me *hæreseos accusare*, & *omnino reum peragere* affirmauit. Veruntamen an dogmata hæc *hæretica* sint, aut fidei Catholicæ principijs repugnent necne, vel potius an *Doctor* iste insignis calumniator sit, *vestraque Sanctitate*, totoq; mundo turpiter abvsus fuerit, vt propterea nulla fides illi deinceps adhibenda sit, & propterea pœnis condignis castigari mereatur necne, tum *Vestræ Beatitudinis* prudentiæ, atque iustitiæ, tum viris quibuscunque eruditis iudicandum relinquo.

Iam reliquas assertiones in *Præfatione* à me positas, quas *Doctor* iste in secundo capite sui libri collegit, & censura dignas esse asserit, breuiter examinemus.

§. 16.

Examen Præfationis.

§. 16.

1 D*Ecimò ſextò Doctor* iſte ait, [a] *Præfationem meam quinque habere, quæ cenſura digna videntur.* a Pag. 12.

Primum *aſtruit* Widdringtonus, *Principatum politicum Regum, aliorumq́ Principum huius mundi eſſe de iure diuino naturali. Non ſecus ac Pontificatus Epiſcopi Romani eſt de iure diuino Euangelico. Hoc quaſi fundamentum iacit ſuæ falſæ doctrinæ, ex quo poſtea deducit, non poſſe Regem vlla de cauſa ab hominibus quacunque poteſtate præditis deponi, ſed à ſolo Deo. Sed audiamus ipſum loquentem.*

Cum duæ tantùm reperiantur poteſtates, quibus principaliter mundus hic regitur, actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctæ, auctoritas nempe ſacra Pontificum à Chriſto Domino inſtituta, & Principatus politicus ab ipſo Deo per legem naturæ, quæ ſuæ ſempiternæ participatio eſt, ſanctiſſi-

mè ordinatus. *Hæc* Widdringtonus, *qui pro horum confirmatione ad marginem citat* Gelasium, Nicolaum, Innocentium.

b Pag 13. 2. *Respondeo*, inquit *Doctor* iste[b]. *Fundamentum hoc falsum est, & absurdum: Proinde non mirum, si quæ superstruuntur, falsa, & absurda sint. Non enim verum est, potestatem politicam Regum, ac Principum esse à Deo, perinde ac potestas Pontificia est à Christo per legem Euangelicam. Latum inter vtramque potestatem ratione originis discrimen est. Primò, Pontificia potestas immediatè est à Christo vero Deo* &c. Et tandem ita concludit *Doctor* iste[c].

c Pag. 15. 3. *Hinc sequitur, Principatum politicum non esse eo modo de iure diuino, quo est Pontificius. Ita docent Catholici Scriptores, vt* Dominicus à Soto *lib. 4. de Iust. & Iure q. 4. ar. 1. ad cuius verba* Widdringtonus *hoc loco allusisse videtur, & alij* &c. *Neq;* Gelasius, *aut* Nicolaus, *aut* Innocentius *in margine à* Widdringtono *citati aliud dicunt. Solùm dicunt, Principatum politicum distinctum esse ab Ecclesiastico, quod nemo inficias ierit; Principatum politicum*

politicum esse immediatè à Deo, siue de iure naturæ ne meminerunt quidem.

4. Sed miror sanè quid huius *Doctoris* mentem adeo occæcauerit, vt prima omnia libri mei verba tam negligenter perlegerit, atque in ipsomet principio in tam paucis lineis tam multa quasi de industria deprauaret, neque etiam quid ipsemet Card. *Bellarminus* (cuius verba expressa ego etiam in hac mea *Apologia*[d] recensui) in suis Controuersijs, in quibus *Doctor* iste versatissimus est, non obiter, sed de instituto scripserit, recordatus fuerit. d *Num.* 432.

5. Nam *in primis* falsum est, me de principatu politico *Regum, aliorumq; Principum huius mundi*, vt *Doctor* iste mihi imponit, sed de principatu tantùm politico generatim considerato, non descendendo ad Monarchiam, Aristocratiam, aut Democratiam locutum esse: Illud [*Regum, aliorumq; Principum huius mundi*] à se additum, & è suo cerebro confictum, non à me dictum est.

6. *Secundò*, falsum etiã est, me in illis verbis affirmasse, Principatum politi-

cum esse de iure diuino naturali; *Non secus, perinde ac, seu eodem modo*, vt *Doctor* iste mihi affingit, quo Pontificatus Episcopi Romani est de iure diuino Euangelico. Solùm etenim ego asserui, *duas tantùm supremas in hoc mundo reperiri potestates, actibus, officijs, & dignitatibus distinctas, nempe auctoritatem sacram Pontificum, & principatum politicum*, sicut Gelasius, Nicolaus, & Innocentius, quos in huius assertionis confirmationem ad marginem citaui, affirmarunt; Et *auctoritatem Pontificum esse à Christo Domino institutam, principatum* autem *politicum esse à Deo per legem naturæ ordinatum*; quod etiam verissimum est, neque ab aliquo absque grauissima nota denegari potest: Sed quòd principatus politicus sit à Deo per legem naturæ, *non secus, perinde ac, seu eodem modo*, quo potestas Pontificum est à *Christo* per legem Euangelicam, ego nequaquam affirmaui, Illa [*non secus, perinde ac*, seu *eodem modo*] à *Doctore* isto mihi imposita, non autem à me posita sunt.

7. Deinde ipsemet etiam Card. *Bellarminus*

Bellarminus expreſſè affirmat, principatum politicum, ſeu ſupremam poteſtatem politicam, generatim conſideratum, non deſcendendo ad Monarchiam, Ariſtocratiam, vel Democratiam eſſe à *Deo* immediatè, & de iure diuino naturali, quod tamen *Doctor* iſte, immemor eorum, quæ Card. *Bellarminus* antea ſcripſerat, quæque in mea Apologia relata viderat, hoc loco inficiari videtur. Sed audiamus *Bellarminum* loquentem [e].

e Lib. 3. de Laicis cap. 6.

Poteſtas politica in vniuerſum conſiderata, non deſcendendo ad Monarchiam, Ariſtocratiam, vel Democratiam immediate eſt à ſolo Deo. Nam conſequitur naturam hominis, proinde eſt ab illo, qui fecit naturam hominis. Præterea hæc poteſtas eſt de iure naturæ, & immediatè in tota multitudine, tanquam in ſubiecto, & transfertur à multitudine in vnum, vel plures eodem iure naturæ.

8. Sed tametſi ego cum *Victoria* [f], & *Couarruuia* [g], quorum etiam ſententiam *Andræas Duuallius* [h] ſequi videtur aſſeruiſſem, *ipſam politicam Regum poteſtatem* eſſe immediate à Deo, & de lege naturæ, & non ab hominibus,

f In relect. de poteſt. ciuili num. 8.

g Cap. 1. præctic. quæſt. num. 6.

h De ſuprema Rom. Pont. &c. part. 1 q. 1. pag. 66.

bus, tametsi potestatis titulus, seu designatio personæ in Regem sit ex consensu hominum, non posset rigidus iste *Censor* hanc assertionem, quam paulò fusiùs declaratam Lector in Responsione mea Apologetica videre [i]poterit, aut absurdam, aut etiam falsam comprobare. *Dico*, ait *Victoria*, *Reges etiam a iure diuino, & naturali habere potestatem, & non ab ipsa Republica, aut prorsus ab hominibus. Et probatur* &c. *Regia potestas*, ait *Couarruuias*, *cæterorumq; Principum ciuilis auctoritas non hominum est inuentum, sed ab ipso Deo per legem naturalem, quæ suæ sempiternæ participatio est, sanctissima fuit ordinatio.* Eadem verba habet *Dominicus Sotus* lib. 4. de Instit. q. 4. ar. 1. Et Concilium Meldense anno. 845. celebratum can. 15. ait, *potestatem Regiam iuxta Apostolum non esse nisi à Deo.*

i Num. 157. & seq.

9. *Dicam obiter*, ait *Andræas Duuallius*, *electionem populi, aut hæreditariam successionem (quæ in prima sui origine a populo deriuatur) non impedire quo minus dici possit potestatem Secularem Regum & Principum à Deo esse immediatè*

diatè (quod ad populum in officio continendum maximè confert, ne factionibus, & rebellionibus à suo Rege ligitimo desciscat. Cum enim credit populus, Regis sui potestatem non à seipso, sed à Deo solo deriuari, eius dominationem multo tolerabiliùs sustinet, eiusq; mandatis promptiùs, & faciliùs obtemperat) Ratio verò cur hæc dicantur non impedire, quo minùs potestas Regis à Deo sit immediatè, est à simili. Sicut enim ex electione Pontificis, quæ fit per Cardinales totius Ecclesiæ nomine, non sequitur, Pontificem à Cardinalibus, vel ab Ecclesia suam mutuari potestatem, cum à Christo *solo eam accipiat, ita nec ex ordinatione Pontificis, aut electione populi nisi aliud accedat (vt accidit in Regibus Siciliæ, & alijs Principibus Ecclesiæ vasallis) sequitur Reges ab ijs, & non à solo Deo suam tenere potestatem, ideoq; designabunt quidem illi electores personam Regiam, cui tamen supremam politicam potestatem nullo intermedio Deus ipse conferet.* Hæc autem falsa & absurda esse *Doctor* iste, quicquid hîc dicat, comprobare non valet. Videat Lector *Responsionem meam Apologeticam* loco citato.

10. *Tertio*

10. *Tertiò*, illud etiam, quod *Doctor* iste affirmat, me prædictam assertionem *tanquam fundamentum meæ doctrinæ iacere*, atque *ex eo postea deducere, non posse Regem vlla de causa ab hominibus quacunq; potestate præditis, sed a solo Deo deponi*, duo etiam manifestè falsa in se continet. *Primum* est, illud [*ab hominibus quacunque potestate præditis*] Neque enim ego de potestate Reipublicæ temporalis in suum Principem, sed de sola postate Pastorum spiritualium Principes Seculares deponendi disputationem institui, An autem Reges à Republica ob vllam causam deponi queant, quæ quęstio non tam Theologica, quàm philosophica est, iustis de causis, vt alibi sæpiùs [k] affirmaui, de industria declinaui, & illam tantùm, An Summus Pontifex Principes supremos deponendi potestatem habeat, examinandam in me suscepi.

k *In Apologia. nu.* 410 *& in Respons. Apolo. num.* 58 59. 50

11. *Secundum* est, hanc meam assertionem *esse fundamentum*, vt *Doctor* iste comminiscitur, *ex quo postea deduco, non posse Regem vlla de causa ab hominibus deponi.* Neq; enim hæc quæ-

stio

ſtio de poteſtate ſiue Summi Pontificis, ſiue Reipublicæ temporalis Principes ſupremos deponendi, ex hoc fundamento, aut principio, quòd Principatus politicus ſit à Deo per legem naturæ, vllatenus pendet, ſed alijs fundamentis, ac principijs longè diuerſis hanc quæſtionem de Principum depoſitione nixam eſſe *Doctor* iſte, niſi libros meos oſcitanter perlegiſſet, ignorare non poterat.

12. Nam tametſi quis aſſereret, non tantùm Regiæ poteſtatis titulũ, ſeu deſignationem perſonæ in Regem, ſed ipſam etiam Regum poteſtatem ab ipſa multitudine, ſeu Republica, tanquam à cauſa efficiente, quæ talem poteſtatem Regibus conceſſit, primùm dimanaſſe, non ſubinde ſequitur, poſſe Reges à Republica, poſtquam poteſtate ſua ſe abdicauerit, eamque totam in Reges tranſtulerit, iudicari, atque deponi, niſi concedere quis velit, rationi conſonum eſſe, quòd maior à minori, Superior à ſubdito iudicari, ac deponi queat.

12. Fundamentum igitur, ac Principium, ex quo Doctores colligunt, non

non posse Principes Supremos à Republica iudicari, atque deponi, est suprema Principum auctoritas, & subiectio Reipublicæ ad Principem, vndecunque suprema hæc Principum auctoritas vel à Deo solo per legem naturæ, vel etiam à Republica in principio deriuata fuerit:

13. Fundamentum etiam, ex quo Doctores deducunt, neque posse Principes supremos à *Summo Pontifice* Principatu priuari, non omnino absimile est, nempe suprema eorum in rebus temporalibus (quales sunt depositio, aut occisio Principum, ob quemcunque finem tametsi spiritualem fieri prætendantur) in quibus soli Deo subiecti sunt, auctoritas. Quòd enim Principes Seculares authoritate Summi Pontificis deponi, aut occidi non possint, non ideo est, quia suprema Principum auctoritas illis à Deo solo, & non à Republica primùm communicata fuerit, ad hanc enim quęstionem omnino impertinens est, vtrùm Reges à Deo solo, an à Republica supremam suam potestatem in principio acceperint: Sed ratio, ob

quam

quam Reges à Pontifice deponi nequeant, hæc eſt, quia neque ex vtriuſque poteſtatis natura (cum omnino diſtinctæ poteſtates ſint, & vtraque in ſuo genere ſuprema ſit, & temporalis ſpirituali in temporalibus non ſubiecta, & Principes ſupremi nullum Superiorem in temporalibus præter Deum ſolum recognoſcant) neque ex Scriptura ſacra, Eccleſiæ definitione, aut alia ratione conuincenti colligi poſſit, *Chriſtum* Dominum talem Summo Pontifici Principes deponendi auctoritatem conceſſiſſe.

14. Non igitur ex hoc principio, & fundamento, quod Principatus politicus ſit ab ipſo Deo per legem naturæ, ego vnquam collegi, vt *Doctor* iſte mihi affingit, Reges, neque à Republica, neque à Pontifice deponi poſſe, ſed iſtud tantùm eo loco in verbis immediate ſequentibus ex hoc fundamento deduxi, *ita cautè, & prudenter de vtraque poteſtate agendum eſſe, vt neque Pontificiæ dignitati quidquam detrahatur, neq; ei aliquid in Maieſtatis Regiæ præiudicium plus æquo tribuatur, ſed vt iuxta Chriſti Domini præceptum*

ceptum, & Cæſari reddantur, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei, Deo. Quæ mea verba *Doctor* iſte, ne Lector fraudem eius ſtatim aduerteret, omnino prætermiſit.

15. Cum itaq; perſpicuè conſtet, *Doctorem* iſtum prima mei libri verba tam turpiter deprauaſſe, atque in tam paucis lineis quatuor quaſi de induſtria mihi falsò impoſuiſſe, qualem ſinceritatem in reliquo eius libro, qui totus ex fraude, falſitate, conuitijs, cauillis, ac ſophiſmatibus confectus eſt, vt breui, Deo dante, clariſſimè patefaciam, prudens Lector à viro tam parum ſincero expectare poterit, ipſemet tum *veſtræ Sanctitati*, tum alijs quibuſcunque iuſtam dubitandi occaſionem ſubminiſtrauit.

§. 17

§. 17.

1. D*Ecimò septimò, secundum* quod *Doctor* iste in Præfatione meę Apologiæ *censoria nota dignum* esse affirmat, [a] *illud est, quod assero*, Card. *Bellarminum auctoritatem Pontificis temporalem in Regia Maiestatis derogationem stabilire contendere: Quod ad inuidiam*, ait *Doctor* iste, Card. *Bellarmino apud Principes huius Seculi conflandam dictum esse quis non videt?*

a Pag. 16.17.

2. *Respondeo itaq́;*, ait *Doctor* iste, *iniuria, & per calumniam Card.* Bellarmino *hoc affingitur. Primo quidem non derogat Regiæ Maiestati, sed colit, & obseruat, colendamque, & obseruandam esse docet Card. Bellarminus, tribuitque omnem eminentiam, quam Sacræ literæ, & Sancti Patres tribuunt. Illud addit, Regiam Maiestatẽ & omnia temporalia inseruire debere Ecclesiæ Dei, & saluti animarum, seu referenda esse ad finem

nem spiritualem, & vitam æternam. Ideo à Christo Deo, & Domino subiecta esse Vicario suo, supremo in terris Principi spirituali, quem super *vniuersam* familiam [b] suam *loco suo* constituit, [c] *& cui* pascendas [d] oues suas *commisit*, [e] *vt ab eo dirigantur ad finem supremum æternæ vitæ, & si aberrare contingat, corrigantur* [f]. *Ea autem non est derogatio Regiæ Maiestatis, aut politicæ potestatis, sed est ingentissimum Dei benificium, omnibus fidelibus apprimè necessarium, & salutare, sed Regibus maximè, qui quo excelsiore sunt loco, eo magis obnoxij sunt grauiori casui, eoque magis egent directione.*

b *Luc.* 22.
c *Vt det illis in tempore tritici mensuram.*
d *Pascendas non mactandas.*
e *Ioh.* 21.
f *Correctione spirituali non temporali, Ecclesiastica non ciuili.*

3. *Non minuitur Maiestas humana, cum diuinæ subijcitur, sed adiuuatur, dirigitur, illustratur magis, quàm corpus à spiritu, luna à Sole ; & docentur Reges sic regnare in terris, vt post hanc vitam cum* Christo *æternùm mereãtur regnare in cœlis.* Gens enim, & Regnum quod *Ecclesiæ* non seruierit, peribit, Isa. 60. *Reges enim non sunt Pastores Ecclesiæ, sed oues, non Patres, sed filij, & quidem filij primogeniti, non Præsides, sed subditi, nec quiuis è turba, sed* nutritij Isa. 49. *vt* ei ministrent, eam vberibus suis

lactent

lactent, & eius muros ædificent Isa. 60. *id est, vt Religionem non Antistitum, sed Regum more, ac velut primogeniti Ecclesiæ filij procurent, tegendis iuuandisque Pontificibus, ac populis in officio continendis. Hoc Regum officium esse docent Catholici, quod si strennè exequantur, atque intra eius se limites contineant, beati sunt Reges illi, donandi à rege Regũ longè splendidiore immortalis Regni corona.*

Illi derogant Regibus, qui per assentationem ita terrenam illorum potestatem extollunt, vt cœlesti gloria priuent. Lubet concludere hunc locum cum magno & Rege, & Propheta: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Psal. 2.

4 Longa hîc & artificiosa oratione vsus est *Doctor* iste, vt Card. *Bellarmini* doctrinam, tanquam *Regiæ Maiestati* nihil derogantem defendat, mihi calumniam imponat, & *Lectori* sub fallacibus verborum præstigijs fucum faciat: Quasi verò Card. *Bellar-*

minus nihil aliud docuiſſet, quàm quod *Doctor* iſte ſub ſpecioſo verborum generalium colore Lectorem fallens tradidit: nempe [*Regiam Maieſtatem*, & temporalia omnia ad finem ſpiritualem, & vitam æternam referenda eſſe, & a Paſtore ſpirituali ad eundem finem dirigenda, & ſi errare contingat, corrigenda, atque Reges eſſe Eccleſiæ oues, non Paſtores, filios non Patres, ſubditos non Præſides] Hanc enim doctrinam generatim traditam *Regiæ Maieſtati* nihil derogare ſatis manifeſtum eſt. Sed nunquid Card. *Bellarminus* nihil aliud *addit*, quod *Regiæ Maieſtati* deroget? Immo verò.

5 *Addit* enim *primò*, [g] *Regiam Maieſtatem*, & temporalia omnia, non ſolùm ex intentione hominis Chriſtiani, qui ex lege *Chriſti* tenetur ſe, ſuaque omnia ad Deum, atque æternam fœlicitatem referre, verùm etiã *per ſe*, & *ex natura ſua* ad finem ſpiritualem, & vitam æternam relata, atque ordinata eſſe, [h] vt inde argumento quodam ſophiſtico, quod ego alibi [i] clariſſimè confutaui, fictam quandam

g *Lib 5. de Rom. Pont cap. 7. in prima ratione.*

h *Ita enim mentem eius interpretatur* Doctor *iſte inferius pag.* 332. & 333.

i *In Confut. Tho: Fitzherb. part. 2. cap. 5.*

dam, falſamque ſubiectionem, ac ſubordinationem non tantùm *Principis* politici ad Eccleſiaſticum, ſed ipſiusmet etiam *poteſtatis* politicæ ad Eccleſiaſticam ſtabiliret, atque ita tandem comprobaret *Reges* & *Principes* temporales, non ſolùm in ſpiritualibus, verùm etiam in temporalibus, quod vtique directam Summi *Pontificis* in temporalibus Monarchiam confirmat, Paſtoribus ſpiritualibus ſubiectos eſſe.

6 *Addit ſecundò*, [k] quod etiam prædictam Monarchiam perſpicuè corroborat, [Eccleſiam Chriſti, corpus eius myſticum, Regnumque ſpirituale, cuius caput eſt Summus *Pontifex*, non tantùm ex ſpirituali, ſed etiam ex temporali poteſtate (tametſi in hoc non ſibi conſtet) conflatam eſſe; & Rempublicam temporalem, ac ſpiritualem vnam totalem Rempublicam, quæ eſt *Eccleſia*, cuius caput eſt Summus *Pontifex*, cõſtituere.] Et quid hoc eſt aliud, quàm Summum *Pontificem* totius orbis Chriſtiani tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus *Monarcham*, atque ſu-

k *Lib. 5. de Rom. Pont. cap. 7. & in Tract. contra Barcl. cap. 13. &* Doctor *iſte inferius pag. 195. & 199.*

premum caput efficere? Adeo vt ego hoc myſterium me ignorare fatear, ob quem finem Card. *Bellarminus* temporalem *Summi Pontificis Monarchiam* aduerſùs *Canoniſtas* verbis impugnet, & tamen ipſamet fundamenta talis *Monarchiæ* reipſa iaciat, confirmet, atque ſtabiliat.

l *In tract. contra Barcl. cap. 3. & ca. 21. & Doctor iſte inferiùs pag. 339.*

7 *Addit tertiò*, [l] [perſonas Eccleſiaſticas *Principibus* Secularibus ſubditas non eſſe, ſed iure diuino a poteſtate *Principum* Secularium eſſe exemptas, neque ad vllas leges ciuiles obſeruandas vi legis, ac ſubiectionis, ſed vi tantùm rationis, (qua ratione ipſemet etiam *Princeps*, qui eas condit, ſeruare tenetur) obligatas eſſe.] Quam doctrinam *Regiæ Maieſtati* derogare, & altera ſuorum ſubditorum parte truncare quis non videt?

m *Lib. 5. de Rom. Pont. cap. 7. & ſeq.*

8 *Addit quartò*, [m] [*Reges*, ac *Principes* ſupremos, ſi Summi *Pontificis* directionem ſequi neglexerint, non pœnis tantùm ſpiritualibus, ſed etiam temporalibus corrigi, ac caſtigari, Regniſque ſuis, ac dominijs temporalibus, quin etiam, quod horreo dicere, eos, qui vitæ ac necis gladium portant

tant

tant, vita corporali auctoritate Summi *Pontificis* priuari pariter posse. [n]]

9 Sed hîc nõ se sistit Card. *Bellarminus*, vlteriùs progreditur, & aliud lõgè perniciosius docet, & quod *Regiæ Maiestati* multomagis derogare manifestũ est *Addit* enim *quintò*, [o] [hanc suã doctrinam, saltem de *Regibus* auctoritate Papali deponendis, certam, esse, indubitatam esse, fide Catholica tenendam, & contrariam omnino improbabilem, & non tã sententiam, quàm hæresim reputandam esse ;] neque licere Regibus, aùt subditis Catholicis hanc Card. *Bellarmini* doctrinam in controuersiam vocare, neque suprema *Regiæ Maiestatis* iura contra prædictam *Bellarmini* doctrinam palam defendere, neque rationes & argumenta, quin potius cauillos, & sophismata ipsius, quæ *Regiæ Maiestati* derogare videntur, scriptis publicis, vt tum a viris eruditis, tum a *vestra* præsertim *Sanctitate* rite examinentur, commendare, quin etiam eiusmodi scripta, quamprimùm in lucem prodeunt, omnino prohibenda, & a nemine, ne fraudes eius, ac fallaciæ toti

n Doctor *iste inferiùs pag.* 144.413.490.

o *Lib. 5. de Rom. Pont. cap.* 1. *& in lib. contra Barcl. sæpissimè &* Doctor *iste in suo libro fere per totum.*

mundo innotescant, legenda, sub fucata potestatis Pontificiæ, atque fidei Catholicæ impugnandæ specie, pro ea, qua apud *vestram Sanctitatem*, cæterosque *Illustrissimos Cardinales* doctrinæ, ac sinceritatis existimatione præualet, protinus curat.

Et nihilominus *iniuriâ, & per calumniam*, ait *Doctor* iste, Card. *Bellarmino affingitur, quòd ipse auctoritatem Pontificis temporalē in Regiæ Maiestatis derogationem stabilire contendat.* Stupidis sanè, ac stipitibus, hoc forsan persuadebit *Doctor* iste, sed viris prudētibus atq; oculatis, qui rem totā penitius inspicient, istud persuadere totâ suâ Rhetoricâ nunquā profectò poterit.

10 *Meminerit* igitur *Doctor* iste, res omnes temporales non *per se & ex natura sua*, sed ex intentione tantùm hominis, qui se suaque omnia ad æternam salutem referre debet, ordinatas esse, vt alibi [p] contra ipsum fusiùs comprobaui; & *Reges*, ac *Principes Christianos* in fide, ac religione Christiana, non in regimine temporali a supremo spirituali Pastore esse instituendos, & quomodo se, suaque omnia

p *In Confut. Thom: Fitzherb. part. 2. cap. 5.*

nia

nia ad ſalutem æternam referre debeant, ab eodem edocendos, atque dirigendos, & ſi forſan errauerint, illiuſque inſtructionem, ac directionem, ſequi noluerint, pœnis quidem ſpiritualibus, non temporalibus caſtigandos, atque Regno Chriſti, quod eſt Eccleſia, non terreſtri Regno, auctoritate Eccleſiaſtica priuandos eſſe.

11 *Meminerit* etiam, *Reges*, & *Principes Seculares*, quantumuis gregis Dominici ſint *oues*, non *Paſtores*, ſpiritualis regni *ſubditi*, non *Præſides*, & Eccleſiæ, ſeu familiæ Chriſti *filij*, non *Patres*; attamen gregis Politici *Paſtores* eſſe, non *oues*, Regnorum huius mundi *Præſides*, non *ſubditos*, & familiæ terrenæ *Patres* eſſe, non *filios*. Si igitur *Reges* errauerint, & ſpiritualem directionem ſequi contempſerint, poſſe Supremum ſpiritualem Paſtorem eos ex ouili Dominico, è familia Chriſti, è Regno ſpirituali, quod eſt Eccleſia, cuius ipſe eſt caput, eijcere, & tanquam Ethnicos, & Publicanos facere non inficiamur; ſed eos ex ouili Politico, è familia terrena, è Regno temporali, in quibus

non ipse, sed ipsi *Pastores*, *Patres*, ac *supremi Præsides* constitututi sunt, excludere, ad *Summum Pontificem* spectare, neque ex sacris literis, neque ex Sanctis Patribus, neque alia ratione solida comprobari potest.

12. Quis enim ex Sanctis Patribus vnquam affirmauit, *Ecclesiasticos* non esse subditos *Principibus* Secularibus, sed eo ipso, quòd tonsuram Clericalem acceperint, ab omnimoda subiectione, quam antea *Principibus* debebant, cum *lex Christiana*, teste *Bellarmino*, [q] *neminem primet suo iure, & dominio*, iure diuino iam exemptos esse? *Omnis anima, etiamsi Apostolicus sit, Euangelista, Propheta, Monachus, Sacerdos, Antistes, siue quisquis tandem fuerit, potestatibus sublimioribus subdita sit, neque enim pietatem subuertit subiectio*, ait *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Theophylactus*, *Oecumenius*, [r] *Pelagius* Papa primus [s]; & nomine *potestatum* ciuiles tantùm intelligunt, ait *Salmeron* in disp. 4. in 13. Rom. Adam Sasbout ibidem. Barth. Medina 1a. 2æ. q. 96. ar. 4. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: si omnis, & vestra.*

q *Lib. 5. de Rom. Pont. c. 3.*

r *Ad Rom. 13.*

s *In epist. 16. ad Childebertum Regem Francorum, apud Binium tom. 2. Concil. pag. 633*

vestra. Quis vos excepit ab vniuersitate: Si quis tentat excipere, conatur decipere, ait S. *Bernardus* ad Archiepiscopum Senonensem [t].

t *Epist. 42. ad* Henricum *Archiep. Senon.*

13. Quis item ex *Sanctis Patribus* illorùm verborum, *Pasce oues*, hunc sensum esse vnquam asseruit, Præbe ouibus meis cœlestis vitæ pabulum, quod si accipere abnuerint, terrestris vitæ pabulum illis adime, easque non tantùm à cæteris separa, & ex meo ouili eijce, vt tanquam Ethnici, & Publicani habeantur, sed macta, occide, bonis omnibus temporalibus, Regnis, Dominijs, atque vita etiam corporali, si opus fuerit, eas priua? Aut quis vnquam ex *Sanctis Patribus* affirmauit, illis vèrbis, *Quodcunque solueris* &c. S. *Petro*, eiusque Successoribus à *Christo* Domino promissam esse potestatem Imperia transferendi, Principes deponendi, subditos à temporali fidelitate absoluendi, & vincula quæcunque, non peccatorum tantùm, sed etiam debitorum, non spiritualia tantùm, sed etiam temporalia relaxandi, & de rebus omnibus temporalibus, de Regnis, Imperijs,

de

de vita, & morte in ordine ad bonum spirituale disponendi? Qui quidem sensus, si à Spiritu sancto intenti fuissent, non est verisimile, Sanctos illos, doctissimosque Patres latere potuisse, aut talem Pastorum spiritualiũ potestatem, quæ tam salutaris, tamque necessaria omnibus fidelibus futura fuisset, sicut Card. *Bellarminus* prætendit, scriptis publicis commendare vllatenus dubitasse.

14. Hæc igitur *Sanctorum Patrũ* vox consona, sententia concors, ac vnanimis consensus est, *Reges* ac *Principes supremos*, à Deo secundos, solo Deo minores, soli Deo pro delictis suis rationem redditutos esse, & à nemine præterquam à solo Deo pœnis temporalibus, & correctione temporali, de qua duntaxat loquuntur, (neque enim eos à Pastoribus spiritualibus coercione spirituali corrigi posse negare intendunt) iudicandos, castigandos, atqne coercendos esse. Ita *Ignatius* in epist. ad Smyrnenses. *Tertullianus* in Apologet. cap. 33. & ad Scapulam. *Chrysostomus* hom. 2. & 20. ad populum Antiochen. *Optatus* lib.

lib. 3. contra Parmenianum. *Irenæus* lib. 2. cap. 20. *Clemens* Alexandrinus lib. 4. Stromatum. *Arnobius* in psal. 50. *Hieronymus* epist. 36. ad Rusticum, & epist. 22. ad Eustochium. *Ambrosius* in Apolog. Dauid. cap. 4. & lib. 2. epist. 7. & in psal. 118. serm. 16. *Cyrillus* Alexandrinus lib. 12. in Ioan. cap. 56. *Gregorius* Magnus lib. 2. Epist. 61. *Isidorus* lib. 3. sentent. cap. 5. *Beda*, *Euthymius*, *Cassiodorus* in illud psal. 50, *Tibi soli peccaui*, & plures alij. Et nihilominus *Doctor* iste affirmare non dubitat, Card. *Bellarminum Regiæ Maiestati omnem eminentiam tribuere, quam Sacræ literæ, & Sancti Patres tribuunt.*

15. Præterea, *Bartholus*, cæterique Canonistæ, qui *Summum Pontificem* temporalem totius mundi Monarcham constituunt, eodem verborum generalium tenore, affirmare non dubitant, se nihil derogare *Regiæ Maiestati*, sed eam colere, & obseruare, colendamque, & obseruandam esse docere, tribuereque illi omnem eminentiam, quam Sacræ literæ, & Sancti Patres tribuunt, neque hanc Pontificis

ficis Monarchiam, esse derogationē Regiæ Maiestatis &c. Communis hæc omnium Doctorum, qui de potestate Summi Pontificis, siue temporali, siue spirituali tractant, cantilena est, eiusmodi verbis generalibus vti: Quæ cum *Doctori* huic ita arrideant, persuadeat ipse Summo Pontifici, *Theologos Parisienses*, quos ipse adeo insectatur, qui affirmant, *Summum Pontificem* Concilio generali subiectum esse, & si delinquat, & incorrigibilis maneat, vnde scandalizatur Ecclesia, ab eo iudicari, puniri, atetiam deponi posse, nihil derogare Pontificiæ dignitati, sed eam colere, & obseruare, colendamque, & obseruandam docere, omnemque eminentiam illi tribuere, quam Sacræ literæ, & Sancti Patres tribuunt. Neq; hanc esse derogationem Pontificiæ dignitatis, sed esse ingentissimum Dei benificium, omnibus fidelibus apprimè necessarium, & salutare, sed *Pontificibus* maximè, qui quo excelsiore sunt loco, eo magis obnoxij sunt grauiori casui, eoque magis egent correctione.

16. Denique

16. Denique, vt hunc etaim locum cum isto *Doctore* concludam, vtinam & *Reges*, & *Pontifices*, & *subditi fideles* intelligerent, ad quæ potestas *Regum*, & *Pontificum* ex *Christi* lege, se extendat, & quos limites vtrique potestati *Christus* Dominus constituit, vt ita omnes seruirent Domino in timore, exultarent ei in tremore, atque apprehenderent disciplinam, ne irascatur Dominus, quòd *Pontifex Regiæ*, aut *Rex Pontificiæ* potestati deroget, aut quòd subditi debitam vtrisque obedientiam non exhibeant. Hæc enim intelligere vniuersis fidelibus apprimè necessarium est, & salutare, eaque ignorare valdè periculosum. Et propterea quàm iniuriosum sit *Regibus*, *Pontificibus*, ac *subditis*, eorum Catholicorum libros prohibere, qui veritatis in hac quæstione grauissima, quæ ad debitam *Deo*, & *Cæsari* obedientiam .prę standâ spectat, quamquè neque *Reges*, neque *Pontifices*, nec *subditi* absque ingenti æternæ salutis discrimine ignorare possunt, prædiscendæ gratia, quid *Deo*, & *Cæsari*, *Pontifici* ac *Regi* iure diuino

à subditis

à subditis fidelibus reddendum sit, clarè, sincerè, atque cum omni submissione debita examinant, tum *vestræ Sanctitati*, tum *Regiæ Maiestati*, tum vniuersis Christi fidelibus iudicandũ relinquo.

17. Deinde, *iniuriâ*, ait *Doctor* iste, [u] *& per calumniam* Card. *Bellarmino affingitur, quòd is in derogationem* Regię Maiestatis *temporalem* Pontificis *potestatem stabilire contendat, quasi* Bellarminus *aut solus, aut primus sit, qui hoc dogma procuderit. Non est dogma* Card. Bellarmini, *sed est dogma* Catholicæ Ecclesiæ, *quod Oecumenica Concilia, Summi Pontifices, Sancti Patres, Catholici Doctores* ex *verbo Dei acceptum semper asseruerunt. Qui contrarium docent, aut manifesti sunt Hæretici, aut Schismatici, aut certè de hæresi suspecti. Card.* Bellarminus *illos, quàm hos sequi mallet, quod hîc crimen? Auctores, quos sequutus est, plurimos allegauit, rationes, quibus sententiam suam confirmauit, ab illis accepit, ac potissimùm à* Nicolao *Sandero Anglo* [x], *quem Auctorem nominauit eo loco, vbi rationes illas primùm posuit.* Vide, *inquit* lib. 5. de Rom. Pont.

u *Pag.* 18.

x *Lib.* 2. *de visibili Monarch. cap.* 4.

Pont. cap. 7. *plura apud* Nicolaum Sanderum *lib. 2. de visib. Monarch. c. 4. vbi etiam multa ex ijs, quæ diximus, inuenies. Hæc ibi* Bellarminus.

18. *Itaque mirum est, cur* Widdringtonus, *qui Anglus est, non contra* Sanderum Anglum *scripserit potiùs, quàm contra* Bellarminum, *qui & ab illo acceperat, & eandem quæstionem breuiùs tractauerat. Sed nimirum, vt* Bellarminus *Romanam Ecclesiam vnius instar omnium aduersùs omnes eius hostes egregiè propugnat, splendoremque Illustrissimi nominis sui longè, lateq́; diffundit; Ita fere nemo hostium Ecclesiæ Romanæ hoc tempore, se vel eidem Ecclesiæ incommodare, vel apud homines innotescere posse sperat, nisi contra* Bellarminum *scripserit.* Hæc Doctor iste.

19. Sed hæc calumnia omninò friuola est, neque ad eam contundendam longa oratione opus. Neque enim ego ea de causa affirmaui, Card. *Bellarminum* potestatē *Pontificis* temporalem in *Regiæ Maiestatis* derogationem stabilire contendere, quasi *Bellarminus* aut solus, aut primus sit, qui hoc dogma procuderit, vt *Doctor*

iste

iste fingit: Noui etenim, hoc dogma non à solo *Bellarmino*, sed à plurimis alijs à *Gregorij* Papæ septimi temporibus propugnatam esse. Sed illud propterea affirmaui, quòd ex ijs, qui iam in viuis sunt, *Bellarminus* tum præcipuus sit, qui hanc quæstionem accuratiùs pertractauit, ac potissima argumenta ad hanc potestatē confirmandam ex *Victoria*, *Corduba*, *Sandero*, alijsque collegit; tum præsertim quòd primus ferme sit ex Theologis, (vt *Bartholum*, paucosque quosdam Canonistas, qui idcirco ab alijs temeritate notantur, missos faciam) qui dogma istud tanquam fidei Catholicæ dogma procudere, & contrariam Catholicorum sententiam, non tam *sententiam*, *quam hæresim* verbis expressis nuncupare non dubitauit.

20. Illam vero iam obsoletam huius Doctoris cantilenam, quam ipse Lectoris auribus tam crebrò insusurrat, nempe *quòd illud* Card. *Bellarmini dogma, sit dogma Ecclesiæ Catholicæ* &c. falsissimam esse sæpiùs commonstraui, neque dogma illud ex Sacris literis, Sanctis Patribus, Oecumenicis Concilijs,

Concilijs, aut alia quacunque ratione ſufficienter demonſtrari poſſe, aut à ſolis hæreticis, Schiſmaticis, aut de hæreſi ſuſpectis, ſed à pluribus Catholicis pijs, ac eruditis, qui neque de hæreſi, aut Schiſmate ſuſpecti ſunt, impugnatum eſſe, clariſſimè comprobaui.

21. Ratio autem, ob quam ego Anglus potiùs contra Card. *Bellarminum*, quàm contra *Sanderum* Anglum ſcripſerim, in promptu eſt. *Sanderus* enim in viuis iam non eſt, nec pro ſe reſpondere, aut noſtras reſponſiones confutare valet; neque etiam tam rigidus Cenſor erat, vt contrariã ſententiam tanquam manifeſtè hæreticam condemnare auſus fuerit: At Card. *Bellarmimus* adhuc ſuperſtes eſt, & pro ſe reſpondere, noſtriſque difficultatibus ſatisfacere, noſque in *noua ſua fide Catholica*, quam hucuſq; ignoramus, meliùs inſtituere, aut ſaltem doctrinam ſuam (quod vtique ſperamus) meliùs recognoſcere, ne dicam, retractare poteſt. Neq; etiã ego quidquam, Deus mihi teſtis eſt, aut adulationis, aut oſtentationis

 cauſa

causa, sed gratia tantùm veritatis in hac controuersia periculosa, quæ nunc inter *vestram Sanctitatem*, & *Regem nostrum Serenissimum* de iuribus vestris, spiritualia, an temporalia sint, existit, & cuius ignoratio tam corpora, quàm animas tot mille millium Christi fidelium in apertum discrimen conijcit, inuestigandæ conscripsi.

22. Ad ea autem quæ *Doctor* iste in laudem Card. *Bellarmini* vltimo loco subiungit, cum aut iactantiam nimiam, aut nimiam adulationem sapiant, respondere non est opus. Neque enim ipsius Card. *Bellarmini*, quem plurimùm veneror, personam conuellere, sed doctrinam eius, salua semper omni reuerentia suæ personæ debita, refellere mihi est institutum. Quid enim impedit, quo minùs vnus alteri litem intendat, vt sæpe inter fratres, & amicissimos contingit, absque eo quòd se inuicem conuitijs lacerent, aut irreuerenter tractent?

§. 18.

1 D*Ecimò octauò*, *Tertium*, quod *Doctor* iſte in *Præfatione* Widdringtoni *reprehenſionem mereri affirmat*, eſt, *quòd hanc doctrinã de Pontificis poteſtate in deponendis Principibus nouam eſſe dicit. Et tamen fatetur à* Gregorio VII. *depoſitum fuiſſe Imperatorẽ* Henricum, *quæ depoſitio facta eſt ante annos quingentos.*

2. *Reſpondeo primum*, ait *Doctor* iſte, *nouum dici non debet, quod ante tot ſæcula cæpit in Eccleſia non ſolùm doceri, ſed etiam exerceri.*

Deinde, etiamſi noua doctrina eſſet, modò ab Eccleſia Romana, quæ, teſte ipſo Widdringtono, columna eſt, & firmamentum veritatis, *& infallibili iudicio pollet, probata ſit, reijci vel impugnari à Catholicis non deberet. Multa enim declarantur ab Eccleſia poſterioris temporis, propter nouos exortos errores,*

quæ à prioris temporis Ecclesia declarata non fuerunt.

Quod autem Gregorius VII. *Pontifex Romanus, cum ingenti Romano Concilio fecit, sine dubio Romana Ecclesia fecit, ac per hoc doctrina, & iudicium, quod inde processit, vt in columna veritatis fundata, à Catholicis hominibus in dubium reuocari non deberent.* Hæc *Doctor* iste pag. 20.

3. Veruntamen in hac etiam assertione mea recensenda *Doctor* iste magna fraude, & falsitate vsus est. *Inprimis* enim illam meam assertionem detruncat, & verba immediatè sequentia [*& prioribus seculis incognita*] quæ priora perspicua reddunt, quæq; etiam ad marginem ad ea explicanda de industria à me posita sunt, *dolosè prætermittit. Neque enim mihi animus erat affirmare, doctrinam illam esse absolutè, & simpliciter, sed respectiuè, si puriora secula, & primitiuam Ecclesiam respiciamus, *nouam*, & *Patribus antiquis* omnino ignotam, atq; à *Gregorio* Papa VII. post mille centũ annos à *Christo* nato in Christianorum

* *Vide infra §. sequenti num. 3.*

Scholas

Scholas inuectam.

4. *Deinde* falsum est, *me affirmasse*, vt *Doctor* iste comminiscitur, *Ecclesiã Romanam columnam esse, & firmamentum veritatis*; Ego enim *Catholicam* addidi, quod *Doctor* iste more suo fraudulento tacet. Quis enim ignorat, inter Ecclesiam Romanam, & Ecclesiam Catholicam Romanam, seu Ecclesiam Catholicam, cuius Romanus Pontifex supremus Pastor est, magnum discrimen constituendum esse, sicut etiam totum, & partẽ, vniuersale & particulare, valde distincta esse omnes norunt. Nam tametsi omnes Catholici affirment, *Ecclesiam Catholicam Romanam*, seu *Ecclesiam Catholicam*, cuius *Romanus* Pontifex caput est, seu *Concilium generale* legitimè celebratum, in quo *Romanus Pontifex* præsidet, quod *Ecclesiam Catholicam* repræsentat, *esse columnam, & firmamentum veritatis*, neque in rebus fidei certò definiendis errare posse, attamen plures Catholici, Scholæ præsertim Parisiensis Theologi, quorum doctrinam, vt hæreticam, erro-

 riue

riue proximam, erroneã, aut temerariam condemnare, ingens meo iudicio temeritas est, cum asserant, Romanum Pontificem, nisi cum consensu, & approbatione *Concilij generalis* res fidei definiat, errare posse, affirmare etiam non dubitant, *Ecclesiam Romanam columnam, & firmamentum veritatis* non esse, aut infallibili iudicio pollere, & proinde illius definitiones, cum errori obnoxiæ sint, posse nonnunquam, si causa rationabilis adsit, à viris Catholicis, absque vlla hæreseωs, erroris, aut temeritatis nota reijci, ac impugnari.

5. *Tertiò*, falsum etiam est, doctrinam hanc de Pontificis potestate in deponendis Principibus ab Ecclesia Romana, seu ab aliqua Romana Synodo, quæ Ecclesiam Romanam repræsentat, quicquid dicat *Doctor* iste, vnquam definitam esse. Legi equidẽ *Henricum* quartum Imperatorem, à *Gregorio* Papa VII. in Romana Synodo excommunicatum, atque etiam Imperio priuatum esse; Sed quòd in aliqua Romana Synodo à *Gregorio*, aut

aut quouis alio *Romano Pontifice* definitum fuerit, esse in *Romano Pontifice* potestatem *Reges*, ac *Imperatores* suis Regnis, & dominijs priuandi, nondũ legi. Quod enim *Doctor* iste inferiùs,[a] illud ex *Lessio*[b] sumens, affirmat, *conclusum, & definitum esse à Sancto Gregorio* VII. *Romano Pontifice in Concilio Romano anno* 1076. *Quod Papæ liceat Imperatores deponere. Item, quòd à fidelitate iniquorum subiectos possit absoluere*, fabulam esse, & commentum ex proprio eius cerebro confictum in *Disputatione* mea *Theologica*[c] perspicuè commonstraui.

6. Quod autem Romanorum Pontificum facta, despositiones, dispensationes, concessiones, literæque decretales à Catholicis hominibus in dubium reuocari non possint, nullam profectò probabilitatis speciẽ habet, cum in factis, ac etiam decretis suis, quæ vel in falsa, aut fallibili opinione, & non in doctrina infallibili fundantur, eos errare posse nemo vir eruditus inficiari potest. *Ego* enim (ait Syluester[d], ad obiectionem quandã respon-

a Pag. 259.
b *In Disput. Apologet. pro potest. Summi Pont. part.* 2. *sect.* 3 *pag.* 396.
c *Cap.* 3. *Sec.* 1
d *In* Summa, *verbo* votum 4. *q.* 5.

respondens, quòd Papa in solenni castitatis voto de facto dispensauerit) *vidi Pontificem facientem maiora cum scandalo totius Christianitatis. Vnde aliud est facere de facto, aliud determinare, quòd ita possit fieri de iure.* Sed inueteratus iam huic *Doctori* mos est, falsa pro veris, incerta, quæque à Catholicis impugnari possunt, pro certis, quæque à Catholicis reijci nequeunt, supponere, vt ita doctrinam suam à Catholicis hominibus in dubium reuocari non posse confidentiùs vociferari queat.

---

§. 19.

1 DEcimò nono, quartum, quod Doctor iste in Præfatione mea reprehensionem mereri affirmat, est, *quòd* Widdringtonus *scribit, se valde timuisse, ne reus esset cædium, aliorumque infinitorum malorum, nisi liberè veritatem diceret: Ideo conscientiæ exonerandæ causa ad scribendum animum appulisse.*

Ac

Ac ne ambagibus vti velle videatur, disertis verbis confessionem suam ponit, dicens, Doctrinæ Catholicæ principijs non repugnare, quin potiùs consentaneum esse, quod Principibus etiam hæreticis, non obstante quacunque excommunicationis, aut depriuationis sententia a Summo Pontifice contra illos lata (vtpote cui potestas tantùm spiritualis, & non sæcularis, qualis est Principes deponendi ex Christi institutione competit) sit à populo illis ciuiliter subiecto obedientia in rebus politicis iure diuino exhibenda.]

2 *Respondeo*, ait *Doctor* iste. *Valde equidẽ teneræ conscientiæ est* Widdringtonus; *& contrà crassæ admodũ conscientiæ fuisse necessum est* S. Thomã, S. Bonauenturam, S. Raymundum, S. Antoninum, *& infinitos alios doctissimos, sanctisimosque viros, qui sine scrupulo conscientiæ scripserunt, Principi politico a Summo Pontifice ob hæresim excommunicato, ac deposito non debere ampliùs a populis obedientiam vllam. D.* Thomæ, *qui agmen ducit, verba sunt hæc* in 2. 2. q. 12.

q. 12. ar. 2. Quam citò aliquis per ſententiam denunciatur excommunicatus propter apoſtaſiam a fide, ipſo facto eius ſubditi ſunt abſoluti a dominio eius, & iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur. *Neque id ex capite ſuo S.* Thomas *finxit, ſed ex Canonibus ſacris accepit, quibus repugnare nullus Catholicus auderet.* Hæc *Doctor* iſte.

3 Sed quid in hac mea aſſertione vllam planè reprehenſionem mereatur, poſito, quòd doctrina Card. *Bellarmini* de Principibus auctoritate papali deponendis, quam ipſe *certam* eſſe prætendit, *certa* non ſit, ſed contraria *ſaltem probabilis*, & quod ex ea doctrina praxi mandata plurimæ ſeditiones ſemper in Republica ortæ fuerint, ego profectò non ſatis intelligo. Veriſſimum enim eſt, teſtem invoco Deum, me in principio de hac quæſtione examinanda cogitantem magnis conſcientiæ ſtimulis, animiq; preſſururis hinc inde agitatũ eſſe. " Cum enim, vt verba mea eo loco " ſincerè referam, ſerio mecum cogi- " tare

"tare iamdudum cœpissem, quanta "pericula animarum, corporum, bo-"norum, quos tumultus, quantasque "seditiones, & coniurationes non "Christianæ tantùm perfectioni ad-"uersantes, sed a feris etiam barbo-"rorum animis plurimùm abhorren-"tes, doctrina hæc *noua*, [a] *& puriori-"bus seculis incognita* de Principibus "Secularibus per potestatem spiritu-"alem deponendis, in orbem Chri-"stianum inuexerit, simulque mihi "certò persuasisse, eam nec Scriptu-"ræ sacræ, nec Ecclesiæ primitiuæ "praxi, nec Sanctorum Patrum au-"ctoritati, nec ipsi rationi naturali "consentaneam esse, sed varijs simi-"litudinibus plùs iusto extortis, So-"phisticis quibusdam argumentati-"onibus, & quod caput est, nonnul-"lis recentiorum Pontificum factis, "atq; exemplis duntaxat fulciri (quæ "omnia nullum certum huius tem-

a *Nam* Gregorius VII. *fuit primus omnium Pontificum, qui Imperatorem deposuit, & vt scribit* Bellarminus *lib. 5. de Rom. Pont. cap. 5.* Primi, qui tẽporalem potestatem Pontifici ex *Christi* institutione tribuunt videntur esse *Hugo de S Vict. & S.* Bernardus, quem sequuti sunt *Alexander, Bonauentura, Henricus, Durandus*, & alii posteriores, *Sed quod neq;* Hugo, *neq;* S. Bernardus, *nec* Alexander *huic sententia de temporali Pontificis potestate faueant, inferiùs num.* 124, 129. *&* 196. *apparebit. Et propterea doctrina ista noua est, & prioribus seculis incognita.*

poralis

"poralis Pontificum super Principes
"potestatis argumentum viris erudi-
"tis, quique debitam ex lege *Christi*
"erga vtrosque reuerentiam seruare
"cupiunt, exhibere valent) quantis
"conscientiæ stimulis, quibusque
"animi pressuris hinc, illincque
"derepente angebar, satis profectò
"explicare non possum.

"4 Hinc enim timor, non Dei,
"sed hominum me a scribendo valde
"deterrebat; illinc Dei amor, & proxi-
"mi me ad scribendum denuo inuitâ-
"bat. Atque ita vndique mihi angu-
"stiæ erant. Nam & verebar, ne scri-
"bendo Pontificis indignationem (*id*
"*quod exitus probauit*) cæteraque in-
"commoda, quæ inde nasci solent,
"incurrerem, & ne silendo Dei iram
"in me concitarem, ac perpetuum
"conscientiæ vulnus mihimetipsi
"infligerē. Verùm in hoc certamine
"illud S. *Pauli* [b] *Si hominibus placerem,*
"*Christi seruus non essem*, sæpius
"reuoluens, tandem præualuit chari-
"tas, omnemque foras emisit timo-
"rem. Cuius legibus me omnino
obstrictum

b *Ad Gal.* 1.

" obstrictum esse reputabam, vt post-
" quam iam controuersia hæc de
" Principibus auctoritate Papali de-
" ponendis hinc inde magno impetu,
" multoque sanguine agitari cæpta
" est, ipsã veritatem, quæ mentis meæ
" oculis meridiana luce penè clarior
" apparebat, non præ timore hominũ
" intùs retinerem absconditam, sed
" omnibus, qui eam diligenter inue-
" stigare, & inuentam toto corde
" amplecti cuperent, sincerè patefa-
" cerem. Aliter enim metuebam, ne
" infinitis illis malis, cædibus innu-
" meris, cæterisque omnibus periculis
" obnoxius essem, quæ ex illius igno-
" ratione tum ipsis Principibus, tum
" populo etiam Christiano evenire
" posse, ac solere, quotidiana experi-
" menta, proh dolor, nimis luculenta
" perhibent testimonia.

5 Iam quid in his verbis contineatur, quod reprehensione dignum sit, aut viris in neutram partem propensis meritò displicere queat, ego profectò capere non possum. At *contrariam doctrinam sine scrupulo te-*

nent

nent S. Thomas, S. Bonauentura, S. Raymundus, S. Antoninus, *& infiniti alij doctissimi, sanctissimique viri, & propterea necessum est*, ait *Doctor* iste, *eos crassæ admodum conscientiæ fuisse*. Sed huiusmodi collectiones friuolæ sunt, & in conuitijs magis, quàm in argumentis recensendæ. Quasi verò nemo doctrinam aliquam S. *Thomæ*, alijsque nonnullis repugnantem amplecti, atque ad eam amplectandam rationibus *verè* probabilibus, quæque intellectum, & conscientiam eius prudenter moueant, duci queat, nisi S. *Thomam*, & alios contrarium sentientes, aut tanquam *crassæ admodum conscientiæ* homines, aut tanquam *crassè admodum errantes* traducat. Ab huiusmodi indecoris contumelijs abstinendum esse Christiana tum charitate, tum modestia edocemur.

6 An forsan quia Card. *Bellarminus* olim * contra S. *Thomam* sensit, Principes infideles auctoritate Summi Pontificis suis Dominijs priuari non posse, & nunc quoque contra ipsum, & S. *Bernardum* etiam sentit, B.

* *Lib. 5. de Rom. Pont. cap. in 3a ratione.*

Virginem

Virginem singulari Dei priuilegio a peccato originali præseruatam fuisse, atque etiam directum Summi Pontificis in temporalibus dominium, contra S. *Thomam*, S. *Bonauenturam*, S. *Antoninum*, si (*Franc. Bozio* * credendum [c] est) & infinitos alios doctissimos, sanctissimosq; viros acriter impugnat, conscientiæ suæ procul dubio persuadens, se ad ita contra eos sentiendum iustis de causis impulsum esse, hinc rectè concludi posse *Doctor* iste affirmaret, *valde equidem teneræ conscientiæ esse Card.* Bellarminum, *& contra crassæ admodum conscientiæ fuisse necessum est* S. Bernardum, S. Thomam, S. Bonauenturam, S. Antoninum, *& infinitos alios doctissimos, sanctimosque viros, qui sine scrupulo conscientiæ contrarium scripserunt* Sed pudet me profectò in istiusmodi nugis immorari. *Lib. 1. cap. 2.

7 Sed illud, quod *Doctorem* istũ adeo discruciat, est illa mea confessio, *quam, ne ambagibus uti velle videar*, ait *Doctor* iste, *disertis verbis* statim pono.

" Itaque

"Itaque rem Deo gratissimam, "proximo vtilissimam, propriæque "conscientiæ exonerandæ pernecessariam præstare existimabam, si deplorando huius temporis statu perpenso, in quo quamplurimi (quod "sciens, dolensque refero) quid circa "temporalem Pontificis potestatem "intus in corde sentiant, foras propalare præ timore non audent, [d] ipsam veritatem plurimorum Sophismatum inuolucris artificiosè contectam apertè detegerem, atque "adeo tum populo Christiano notũ "facerem, quàm firmo, ac immobili "fundamento nitatur obedientia, "quã in rebus ciuilibus Principibus "Secularibus iure diuino debent, "tum ipsis etiam Principibus, ijs potissimum, qui Romanæ Ecclesiæ "non adeo fauent, euidenter ostenderem, quomodò doctrinæ Catholicæ principijs non repugnet, quin "potiùs consentaneum sit, quòd "Principibus etiam hæreticis, non "obstante quacunque Excommunicationis, aut depriuationis senten-

"tia

d *Tanta est inter Doctores controuersia de plenitudine Ecclesiasticæ potestatis, & ad quæ se extendat vt pauca sint in ea materia secura, ita quòd, vt dicit* Guilielm⁹ Occam *circa finem primæ partis Dialogi, summè necessarium foret, quòd per sapientes iuramentis, & horribilibus comminationibus ad veritatẽ dicendã arctatos declararentur, quæ ad plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ spectant. Ita* Iacobus Almainus *de Auctoritate Ecclesiæ cap. 3. in principio.*

"tia à Summo Pontifice contra il-
"los lata (vtpote cui potestas tantùm
"spiritualis, & non Secularis, qualis
"est Principes deponendi, ex Christi
"institutione competit) sit à populo
"illis ciuiliter subiecto obedientia in
"rebus politicis iure diuino exhiben-
"da. Ita enim neque fideles subditi
"à debita suis Principibus obedien-
"tia præstanda vllatenus dimoueri,
"aut ad seditiones in Republica po-
"litica prætextu Religionis excitan-
"das, cum summo tum sui, tum Rei-
"publicæ periculo, nec cum minori
"Religionis Catholicæ scandalo,
"quorumcunque persuasionibus fa-
"cilè induci poterunt; neque Prin-
"cipes, qui erga Religionem Catho-
"licam alioquin non bene sunt affe-
"cti, quovsque de subditorum suo-
"rum fidelitate securi reddi queant,
"erunt ignari, neque præ timore sta-
"tus sui politici à Cãtholicis aut euer-
"tendi, aut perturbandi, à fide Ca-
"tholica vel amplectenda, vel saltem
"permittenda meritò deterreri pos-
"sunt. Hæc ego in dicta Præfatione.

8. Iſte enim meæ *pro Iure Principium Apologiæ* finis, hic ſcopus erat, vt quonoiam ab hac doctrina pro poteſtate *Summi Pontificis* Principes deponendi praxi mandata, tot bella, tot ſchiſmata, tot animarum, & corporũ pericula in orbe Chtiſtiano originem traxere, & nunc etiam hîc in Anglia, Religio Catholica apud *Proteſtantes*, præter temporalis, & æternæ ſalutis diſcrimen, in quod Catholici quotidie adducuntur, tam graue inde ſcandalũ indies ſuſtinet, cum ſubditi Catholici iuxta hanc doctrinam, ſi eam *de fide certam* eſſe ſemel ſupponamus, verè, ſincerè, & conſtanter fideles *Regi noſtro Sereniſſimo* ſubditi eſſe nequeant, niſi ad arbitrium *Pontificis*, in cuius libera poteſtate eſt, *Regem* noſtrũ diſparem illi Religionem profitentem è Regni ſolio deijcere, & ſubditis, ne illi fidelitatem præſtent, imperare, euidenter oſtenderem, quomodo ſubditi Catholici erga *Regiam Maieſtatem* in praxi ſe gerere debeant, ſi ſemel admittamus, doctrinam hanc pro poteſtate Papali Principes abdicandi non

non esse *certam*, & ab Ecclesia definitam, sed apud Catholicos pios ac eruditos controuersam esse.

9. Hoc enim semel concesso, eandē planè confessionem meam, quantumcunque huic *Doctori* non arrideat, iterum, atque iterum repetere non pertimesco, nempe, non posse à manifesta perduellione excusari subditū, (cū possessor bonæ fidei, iuxta receptissimam iuris regulam in lege naturali fundatam, non sit è possessione sua, quamdiu lis sub Iudice est, deturbandus) quamcunque opinionem circa potestatem Pontificis temporalem *speculatiuè* tueatur, qui *practicè* sub quouis etiam Religionis Catholicæ promouendæ prętextu, Principem suum legitimum, non obstante quacunque Excommunicatione, aut depriuatione Papali, è Regni sui possessione expellere niteretur.

10. Sed *contrarium*, ait *Doctor* iste, *S. Thomas tenuit*. Esto; neque enim ego de hac re cum *Doctore* isto in pręsenti contendam. Verùm idcirco *S. Thomas* contrarium tenuit, quoniam

existimauit, iudicium *Summi Pontificis* in rebus fidei absque Concilio generali definiendis errori obnoxium non esse, & forsan etiam arbitratus est, doctrinam hanc pro Principibus auctoritate Papali deponendis fuisse in canone illo, *Nos sanctorum*, à Gregorio VII. sufficienter determinatam. Sed quòd neque doctrina illa de infallibili *Summi Pontificis* in rebus fidei definiendis iudicio certa sit, sed contraria apud grauissimos, doctissimosque Catholicos controuersa, neq; hæc de potestate *Summi Pontificis* Principes supremos deponendi fuerit in eo *canone* sufficienter determinata superiùs [c] commonstraui.

c §. 7.

11. Attamen, quamcunque opinionem S. *Thomas* circa potestatem Summi *Pontificis Principes* abdicandi *speculatiuè* sequutus fuerit, nunquam tamen S. *Thomas* hanc doctrinam tenuit, neque ab aliquo viro erudito teneri potest, quòd possessor bonæ fidei è legitima sua possessione, lite adhuc pendente, ab aduersa parte licitè excludi possit.

12. Se

12. Sed S. *Thomas*, ait *Doctor* iſte, *illud non ex capite ſuo finxit, ſed ex ſacris Canonibus accepit, quibus repugnare nullus Catholicus auderet.*

13 Veruntamen, quàm infirmæ ſint rationes, quas S. *Thomas* ad poteſtatem Summi *Pontificis* ſubditos a fidelitate Supremis *Principibus* etiam infidelibus debita abſoluendi confirmandum affert, *Ioannes Barclaius*, vir doctiſſimus, cui adhuc a Card. *Bellarmino* reſponſum non eſt, neque ei meo iudicio ſolidè reſponderi poteſt, niſi prohibitio ſui libri, nulla cauſa, ob quam prohibita eſt, ſpeciatim indicata, pro ſolida Reſponſione habenda ſit, aduerſus Card. *Bellarminum* clariſſimè comprobavit [f]. Atq; etiam in quo ſenſu Canon ille, *Nos ſanctorum*, ex quo S. *Thomas* illud accepit, ſi canonem illius de ſupremis Principibus intelligendum eſſe quis velit, *ſacer* dicendus ſit, ſicut etiam quinam Summorum *Pontificum* canones *ſacri* dicendi ſint, vt eis repugnare nullus Catholicus audeat, quinam non *ſacri*, quibus repugnare licet, & quinā

f *In* Vindicijs *pro Guilielmo Barclaio aduerſus* Card. Bellarm. *in Prologom. in principio & ca.* 21. §. 5. & 6.

sacrilegi, quibus repugnare omnes
g §. 8. tenentur, à me superiùs [g] explicatum
est. Neque enim omnes *Summorum Pontificum canones*, tametsi in corpore Iuris *Canonici* reperiantur *sacros* dicendos esse, vt eis repugare nullus Catholicus audeat, *Doctor* iste affirmare audet; Et propterea diligenter cauendum est, ne canones non *sacri*, prophani, aut sacrilegi, quibus repugnare quilibet Catholicus aut potest, aut tenetur, pro *sacris* canonibus, quibus repugnare non licet, a quopiam, sub fucato deuotionis erga *Sedem Apostolicam* prætextu, fideli populo obtrudantur.

§. 20.

1. VIgesimo, & vltimò, *Quintum*, & vltimum, quod *Doctor* iste in *Præfatione* reprehensionem mereri affirmat, est, *quòd* Widdringtonus *protestationem contrariam facto adiungat: In omnibus*, inquit, *me Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ censuræ, atque correctioni, cum omni, qua par est, submissione subijcio.*

2 *Respondeo*, ait *Doctor* iste. [a] *Bona hæc sunt verba, & Catholico viro digna. Vtinam facta verbis respondeant; nihil desiderabimus ampliùs. At verò cùm toto libro Romanæ Ecclesiæ voces, & decreta contemnat, & hostibus Ecclesiæ coniunctus, potestatem & dignitatem eius totis viribus oppugnet, & si non penitus tollere, certè dimidiare conetur, non video, qua alia intentione hæc verba proferantur, quàm quà illi percutiebant caput eius* (Christi) *arundine, & ponentes* a Pag 22.

genua adorabant eum. Marc. 15. cap. *Et veniebant ad eum, & dicebant,* Aue Rex *Iudæorum, & dabant ei alapas.* Iob. 19. cap.

3 Sed hæc mera calumnia eſt, & vetus cantilena à *Doctore* iſto ſæpiùs decantata. Neque enim verum eſt, me Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ voces, & decreta contemnere, & hoſtibus Eccleſiæ coniunctum poteſtatem, & dignitatem eius totis viribus oppugnare. Illam cùm omni, quæ par eſt, reuerentia, veneror, colo, atque ſuſpicio, illiuſque cenſuræ in omnibus me ſubijcio, & voces, ac decreta illius obſeruo, & obſeruandas eſſe doceo. Sed nihilominus neque iſtius, neque alterius cuiuſcunque priuati Doctoris ſacrorum Eccleſiæ decretorum expoſitiones, & commenta pro Eccleſiæ vocibus, ac decretis obſeruandas eſſe ingenuè profiteri non pertimeſco. Neque ego cum hoſtibus Eccleſiæ, ſed cum viris Catholicis pijs, ac eruditis coniunctus affirmo, non eſſe certum, & de fide, ſed de hac re certare Scholaſticos, & adhuc ſub

sub Iudice litem esse, An Papa possit Principes deponere.

4 Denique *Bartholus*, & alij Canonistæ, eandem omnino calumniam in Card. *Bellarminum*, qui ex *Bartholi* sententia doctrinam circa temporalem Summi Pontificis Monarchiam ab Ecclesia Catholica Romana condemnatam cum *Marsilio*, *Dante*, *Occamo*, *Luthero*, *Caluino*, & alijs propugnat, & dignitatem eiusdem, si non penitus tollere, certè dimidiare conatur, totidem planè verbis retorquere possent, atque cum *Doctore* isto exclamare, Card. *Bellarminum Romanæ Ecclesiæ voces, & decreta contemnere, & hostibus Ecclesiæ coniunctum potestatem, & dignitatem eius totis viribu oppugnare*, & *si non penitus tollere, certè dimidiare conari, adeo vt non videatur, qua alia intentione verba illa*, quibus ipse se in omnibus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ censuræ submittit, quin etiã eundem librum Summo *Pontifici Sixto* V. dedicat, *ab eo proferantur, quàm qua illi percutiebant caput eius* (Christi) *arundine, & ponentes genua adorabant eum.*

*um.*Marc. 15. cap. *Et veniebant ad eum, & dicebant, Aue Rex Iudaeorum, & dabant ei alapas* Ioan 19. cap.

5 Hæc ſunt, B^me *Pater*, vniuerſa illa dogmata, quæ *Doctor* iſte, ad me *hæreſews accuſandum*, quin etiam vt ait ipſe, [b] *omnino reum peragendum*, ex mea *pro Iure Principum Apologia* collegit, in quibus recenſendis, atque impugnandis, quàm inſigni fraude, & falſitate vſus fuerit, & quàm egregium conuitiatorem, ac calumniatotem egerit, veſtræ *Sanctitati*, totique mundo clariſſimè patefeci.

b *Pag.* 2.

6 Reliquum iam eſt, vt veſtram *Beatitudinem*, ſupremum in ſpiritualibus Iudicem, appellem, atque ad veſtræ iuſtitiæ tribunal de iniuſta mea oppreſſione, aduerſùs *Doctorem* iſtũ, quicunque ille ſit, queritans, eumque in *calumniæ*, ac *impoſturæ* iudicium adducens, prouocem; veſtram *Sanctitatem* obnixè deprecans, vt iuſtum iudicium iudicet: Et ſi forſan in aliquo me per ignorantiam erraſſe perſpexerit (nunquam enim de induſtria, Deo protegente, in errorem inducar) illud mihi

mihi notum facere non dedignetur, & ego ſtatim me corrigere, & pœnas præterea quaſcunque tali errori debitas lubenti animo ſubire paratiſſimum me eſſe profiteor.

7. Sin autem *Sanctitas* veſtra *Doctorem* iſtum mihi crimina illa falsò impoſuiſſe, & manifeſtas calumnias, in re tam graui, qualis eſt *hæreſis*, adhibuiſſe deprehenderit, vt illum tanquam egregium *impoſtorem*, & *calumniatorem*, qui & mea innocentia, & veſtra *Sanctitate*, totoq; mundo adeo turpiter in graue *Religionis Catholicæ*, *Sediſque Apoſtolicæ* opprobriũ ſcriptis tam publicis abuti auſus fuerit, deinceps habeat; neque in poſterum illius informationibus abſque diligenti examine fidem adhibeat, atque etiam vt ſententiam illam *Sacræ Congregationis* aduerſùs me, meoſque libros ex falſa iſtius *Doctoris*, vti veriſimile eſt, informatione latam reuocare (neque enim ſententiam ex mala informatione iniuſtè latam irritam reddere, vllius tribunalis, & præſertim *Vicarij Chriſti* dignitatem dedecere exiſtimandum eſt)

eſt) & denique vt famæ, ac innocentiæ meæ inde grauiter læſæ reſtituendæ omni meliori modo conſulere velit, ne fortè ſupremus ille Iudex, qui *perſonam hominum non accipit* [c], quique *non ſubtrahet perſonam cuiuſquam, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam, quoniam puſilium & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus* [d], iniuſtam meam oppreſſionem vindicet, atque acerrimè in hac etiã vita, quod vtique non deſidero, vlciſcatur, nam procul dubio *in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij reddet vnicuique ſecundùm opera eius* [e].

c Iob. 34. & Gal. 4.

d Sap. 6.

e Rom. 2.

Igitur *iudicium verum iudicate*, [f] *& eruite vi oppreſſum de manu calumniantis,* [g] *non conſideretis perſonam pauperis, nec honoretis vultum potentis, ſed iuſtè iudicate proximo* [h] *veſtro.*

f Zach. 9.

g Ierem. 21.

h Leuit. 19.

FINIS.



In Supplicatione.

IN *titulo.* lin. 7. lege *qua.* Pag. 8. l. 19. *Zelator sit.* p. 15. l. 25. *latæ, &c.* p. 18 l. 24. *temporali.* p. 24. l. 1. *& Card.* p. 27. l. 6. in margine *cap. 6.* p. 31. l. 10 *depositiones.* p. 32. l. 1. *experientia.* p. 33. l. 20. *potest?* p. 43 l. 15. in margine *temporalis.* p. 44. l. 20 *contumaciam.* p. 46. l. 9. *iudiciũ.* p. 49 l. 12 *&c.* p. 50. l. 15. *putent.* p. 51. l. 11. *iniquum.* p. 55. l 25. *inquam.* p. 58. l. 3. *caueat.* & l. 7. *religioni.* p. 62. l. 12 *quantam.* p. 65. l. 5. *declaratur.* p. 87. l. 22. *diminuta* p: 92. l. 25. *indicare.*

In Appendice.

IN *titulo,* l. 4. *qui.* & l. 14. *iudicium.* p. 8. addatur in margine è regione lin. 13. *Si vera sit Censura illa, quam typis excusam vidi, in qua* Sacra Congregatio *ex mandato suæ* Sanctitatis *die tertia Ianuarij* 1613. Controuersiam Anglicanam pro defensione Illustrissimi Card. *Bellarmini* Auctore R. P. *Martino Becano omnino prohibet, & in secunda classe Indicis reponendam præcipit, donec corrigatur: eo quòd nonnulla* falsa, temeraria, scandalosa, & seditiosa respectiuè *in ea contineantur.* p. 29 l. 10. in marg. lege *part. 1. cap. 1. & 6.* p. 41 l. 18. *eamque.* pag 60. l. 1. deleatur *pro.* p. 86. l. 19. *calumniandi.* p. 92 l. 10. *quam.* p. 105. l. 20. *rationabilibus.* p. 107. l. 8. *ac.* p. 108. l. 16. *rationabilibus.* p. 109 l. 7. *rationabilibus.* p. 112. l 14. *rationalibus* p. 119. l *rationalibus.* p. 125. l. 17. *Regia.* p. 126. l 10. *feminæ.* p. 130. l. 1. *animus.* p. 135 l. 8. *assertio sit.* & l. 22. *esse affirmabant.* p. 144. l. 19. deleatur *alijs naturalibus.* p. 146. l. 11. *à Regia.* p. 166. l. 19. *falsam.* p. 171. l. 27. *non fuerint.* p. 187. l. 27. *contendit.* p. 203. l. 6. ?. p. 226. l. 2 *constituti.* p. 241. l. 17. *depositiones.* p. 243. l. 25. *deberi.* p. 244. in titulo *nona.* p. 245. l. 24. in marg. 124. p. 246. in tit. *nona.*